DE GALLICA
TERTIO DECIMO SECULO
STATUARIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. DE CURZON

PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1888

DE GALLICA

XIII° SECULO STATUARIA

Coulommiers.— Imp. P. BRODARD et GALLOIS

DE GALLICA
TERTIO DECIMO SECULO
STATUARIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. DE CURZON

PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET C^ie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1888

VIRO PERITISSIMO

EUG. GUILLAUME

D. D. D.

DE GALLICA

XIII^{o} SECULO STATUARIA

PROOEMIUM

Non totam generatim materiam sculpturae medii aevi apud Francos amplecti mihi in animo est, vel, historicorum more, per singulas artis hujus significationes ire; at pauca modo ejus praecipua et peculiaria opera, ea aetate qua artem ipsam in summum perductam esse constat, αἰσθητικῷ judicio perspicere et segregata observare est mihi propositum. —Inde complectar initio breviter prima studia artificum, et dubia incrementa, incertosque eos velut praetentatus qui priorum maxime seculorum operibus spectantur; demonstrabo et qua propria vere novataque progressione sensim ars plastica sese a romanis vel byzantinis praesertim rationibus (quibus temporum primorum opera quasi irretita videntur), expedire valuerit, posteaque, per commodius veritatis in imitando studium, per instinctus aliquanto liberiores et vividiores conceptus, tandem, ultimos jam circa xii^{i} seculi annos, in novum felicioremque impetum, in veram statuariam evaserit. — Hic fundum ipsum operis habemus : artem dico xiii^{i} seculi, cujus, prompta confirmatio simul ac praeceps haud minus inclinatio, attentorum spectantium mentes movent primum, etsi parum aperte fines cujusque intelligantur, studiumque vere et exspectationem erigunt : quas vero accurata, meritissimorum operum quae etnunc integra apud nos supersunt, recognitio, explicare fortasse poterit.

Sic dicetur primum cursim qui habitus, quae condicio fuerit

scholarum sculpturae, incipiente nova illa artis specie; exprimeturque simul, quoad facultas feret, quo novo instinctu, quibus novis cupidinibus in labore et operibus, sensimque excellentem artis XIII° seculo progressum direxerint. Explorabitur postea qua in civili condicione, hac aetate, sculptores versarentur, qui proprius eis habitus fuerit in illa multiplici consortione artificum omnium qui ad aedificandam aliquam ecclesiam ordinabantur; scrutabimur etiam, hinc quae practica eis, ut ita dicam, ratio laboris fuerit, qui mos, quae disciplina et regula studiorum; illinc, quam doctrinam, quae praecepta artis observarent artifices illi, quibus quasi traditis difficultatibus opprimerentur, qua industria quoque sese ex eis exsolvere, vereque genuini et novi evadere valuerint. — Quaeretur tandem quam praecipue materiam, quae argumenta praefinito opere expressuri essent, quos et typos plerosque formasque quasi praestitissent, quaque ex ratione ea habitu et veste immutata sint.

Primam hanc partem studii nostri, brevis quasi commentarius plasticae artis XIII° seculo, caput sequetur, unice in operum descriptionem insumptum, velut probatio quaedam, per accurate electa exempla, rationum antea positarum, et fundamentum ipsum totius thesis.

Veniet tandem ultima pars, ad universam censuram, et operum et artis singularis qua ea confecta sunt, adhibita, ubi, quid aequi in ea judicii servandum sit, argumentum colligetur. Causas ibi docere conabimur cur irrita vel infirma illa ars fuerit, — quamvis ingenuis non caruerit virtutibus, — nec potuerit absolutam perfectionem, operibus, summamque laudem, factura, assequi : sive hinc, impropria institutio prima, ineptaque disciplina artificum opes et facultates male direxerit, sive illinc falsa de pulchri legibus opinio, quid temperamenti et convenientiae formarum expressus sibi velit, omiserit. — Licet non curatius in otiosum certamen facultates et cultus medii aevi simul ac priorum aetatum deducere conveniat, non inutile tamen videtur paululum in hac quaestione haerere, scilicet, quam graves sint, in observandis operibus, dissimilitudines societatis, ut ita dicam, vel civilium institutorum, quae opificibus singularium aetatum apparent, inde ac dispariles artium incrementi condiciones. — Breviter tandem de peculiaribus in arte *pulchri* elementis disseram, quid ea operibus requirant, quam-

que necessaria sit absoluta eorum cohaerentia, ad expromenda, excolenda, confirmandaque sensim, scholae vel ingenii cujuscumque in artibus incrementum et maturitatem. Quod decorum aptissimumque temperamentum etsi medio aevo, non satis praeparato, defuit, Gallica saltem ars, planius quam ceterae omnes, per quasdam vere proprias et singulares virtutes, — et animadversione et laude dignas, — supplere valuit.

Ex hac oeconomia, tituloque ipso hujus opusculi, apparet nos statuariam modo perspicere, omnemque prorsus *ornatus* sculpturam praetermittere. Non quod ars illa vere peculiaris parvi ducenda sit : quippe quae immo distincto, attentissimoque studio digna videatur; nam praenituerunt saepe felicius in ornatione, et velut apparatu aedificiorum medii aevi artifices. At decet tantam materiam separatim suscipi, segregarique ornatus industriam ab illa arte quae humanae figurae expressui dedita est. Rarum est enim, nisi primis aetatibus, unam alteri quasi ex consulto in monumentis commixtam videri, etsi saepius, vel maxime in anaglyptis ectypisque argumentis, ornamenta, ut magnifice aptata zona, exsculptas personas circumdent. Haec ornatus sculptura, — cujus quasi infinite variatae imagines, ex geometricis primum schematis, vel inusitatis ridiculisque simulacris, hauriuntur, post et ex diversis cujusque regionis floribus ut e copiosiore materia figurarum peculiaribusque exemplis assumuntur, — plerisque aedificiis medii aevi, abundantiam vere modorum luxuriamque inventorum sponte explicat, quae unaquaque aetate praestantes merito dici possunt. Non eadem ceterum quasi trutina statuariae et *ornatus* incrementa examinare licet, cum, etsi tot mutationes industriae vel doctrinae apud unam et alteram artem appareant, statuariam constet, multo lentius quam ornatus, in gratam quamdam probandamque vere virtutem vel dignitatem evasisse. Permulta enim ornationis sculpturae exempla mirationem jam prae dexteritate facturae dispositionisque munditia et convenientia faciunt, eadem ipsa aetate qua prope posita signa etiamnunc impedita vel deformia ad aspectum praestant.

Ornatione diu sola vestiuntur ecclesiae partes quas posterius, — ut, in fronte, archivoltas postesque januarum, et tympana etiam fastigiaque vel anterides, — anaglypta vel solidae

statuae plane occupaverunt. Immo primo tempore, ex immodica ut opinor luxurie, scapos quosdam quoque, et parastatas et arcuationum tabulam omnigena invadunt ornamenta. Nec mirum, quia aptissime sane praeter ceteras artes ornatus valet ad vim et speciem singulis aedifiii partibus expromendas, arcteque praesertim architecturae conjunctus est, cujus lineas probe quasi illustrat commendatque. — Statuaria vero, immo anaglypha, jam multo minus districta lineis structurae, sua vero ipsa natura, solutior apparet, magisque a circumficto ornatu separata, qui etiam ipsi proprium locum in aedificio relinquere peculiarique industria parare et aptare debet. Inde pauciora ejus, prima aetate, opera spectantur. Tympanum januarum ecclesiae (ne capitula pilarum numerem, horridis saepe imaginibus, mala ex opinione, ut opinor, ornatui mixtis, exsculpta [1]), libentissime, primum, sacris simulacris exornatum est. Paulatim vero, similibus argumentis, symplegmata vel sigilla ectypa arcum ipsum vel archivoltam et limen obtinent, eo luxuriosius quasi profusa quod portae simul ex obliqua parietum caesura (vel per explicatas velut retractiones) patescentes, vere in diathyrorum speciem (quas nos porticus dicimus) convertuntur. Post et parastatae et postium columnae, quae nunc pluribus recessibus laxiora spatia januae firmant, nuda nimis habentur : inde statuae novae, saepius justo majores, fere omnibus, vel asservatis inter eas locis, applicantur. Media pariter pila (quae valvas dividit, apud nos « trumeau » dicta, — verbum novum, quia nova res), proceram imaginem quamdam adversa fronte, ornamenta vero vel ectypa argumenta subter et lateribus, praestat. Haec Christi vel Virginis, vel ecclesiae patroni potissime simulacro reservata est ; postibus autem beatis diversis Scripturae personis, seu angeli, reges, seu patriarchae, haud certo arbitrio affiguntur. Nec satis est : a porticibus quasi plane exsculptis nuditas ceterarum frontis partium nimis abhorrere mox videtur, anteridesque turresque praecipue, non luxuriosa modo ornamenta sed statuae variae ordinatim suprapositae ubique quasi vestire solent. Nec praetermittere licet majores etiam imagines quae jam diu summa maeniana vel porticus necnon fastigiorum vertices tenent, rudio-

1. Vide, in Arvernia, utputa, apud Clarummontem, vel Sanctum Nectarium (Mus. Trocad., 58, 96), vel et propius Parisiis apud Sanctum Germanum de Pratis, plura singulari hoc modo exsculpta capitula.

reque etsi scalpro expressae, pro altitudinis ratione haud impares ceteris aestimantur. At ornamenta, effusior quasi apparatus lapidis, sine confusione intermiscentur, toros ceterasque omnigenas *modulaturas* (quae dicuntur) caelant, archivoltas arcusque designant et quasi expromunt, stereobatas intextis velut reticulis obtegunt, bases, capitula et ea tecta vel capsas quibus statuae, zothecae instar, supra caput inclusae sunt, exquisita saepius arte perforant et suffodiunt ; anaglypta simul cingunt, magnificaque forma vel margine amplectuntur ; arctas tandem acutasque omnes aedificii partes, latera vel acumina vel spinas, vel angulos parietum, vel et peculiaria illa fastigia interrasa quae nos « gâbles » dicimus, vivacibus frondibus, singularibusque omnigenis floribus plerumque fastigatis abscondunt et quasi hebetant.

At fusius fortasse de ornatus sculptura disserimus; quod nos tamen haud longius ab incepto traxisse videbitur, si constiterit inde statuariam in hoc arcte ornatui connecti, quod communem ambo auctoritatem, summumque arbitrium architecturae subeunt. Hac enim aetate potius quam quavis alia necesse erit, si aperte vim propriam artificum, effectusque ab eo affectatos intelligere voles, locum ipsum et peculiarem sedem exquiras quam in summa inter circumdantia opus occupat. Atqui medii aevi operarios rectius saepe feliciusque quam proximorum artifices seculorum leges eas praecipuas, *convenientiae uniuscujusque rei* loco proprio qui ipsi in summa assignatus est, assecutos esse videtur. Cum vero diversa illa artis opera suam quodque libertatem in materia aeque ac ratione technica servant, satis consentaneum est ea, vel signa vel anaglypta, extra circum designatam ordinationem, et velut sepositis techtonicis finibus, libere perpendere.

Studium plasticarum medii aevi artium, exquisitio perpensatioque operum, plane recens quaestio est. Jam xv° seculo inceptum erat traditos mores magnificamque decorationem, frontis praesertim ecclesiae, statuariam saltem, paulatim deserere; luxuriae prope profusiori nudata prope inopia successerat, ornatusque ipsis tantum architecturae lineis reservatus erat. Deinde, defectis veteribus scholis, novae continuabantur quae, mutatis rationibus, aspernabantur, improbabant, negabant doctrinam illam cujus opera olim antiquis cathedralibus nostris

laudi fuerant. Atque utinam despectus oblivioque fragilibus illis imaginibus quodammodo adversus coecum et exitiale odium, vel saepius propositam, fanaticam vastationem recentioris aetatis, praesidio fuissent! Quam paucae enim adhuc superfuerunt, quam paucae praesertim integrae! *Ornatum* (nec mirum), cum minus injuriae subjaceret, parcius quam statuariam infestatum esse constat. In hanc propterea partem potissime novae intentae sunt eruditorum indagationes. — Sic A. de Caumont in primis, qui longam vitam in vulgando medii aevi archaeologiae studio consumpsit [1], et in accuratiorem observationem operum animos inducere valuit, summum huic peculiari sculpturae locum in aedificiorum decoratione et apparatu assignaverat. Gravius etiam momentum ornatui, pro ecclesiarum partitione et peculiarium insignium scholarumque diversarum ordinatione et disquisitione, attribuit; et immodicam vere ejus auctoritatem esse censuit, quae cum reipsa fragilis nec satis probata esset, exactis studiis et consecutionibus saepe nocuisse constat donec Julius Quicherat, vir ingenio et perspicuitate eminentissimus, cum docendo tum scribendo, veras *romanae* (quam dicimus) architecturae rationes, redacta in fines proprios ornatus ipsius dignitate, exponere valuit [2].

Illa vero curiosa, ut ita dicam, cura patriarum medii aevi artium, etsi ubique a primi indagatoris Caumont discipulis felicius sensim pervulgata est, statuaria tamen ipsa parum mature apta aequaque censura aestimata est, vel ex aesthetica quodammodo ratione expensa : quippe quam, cum primum male nota esset, post, non aliter quam pro aetatis suae documento, vel iconographico testimonio, diu habitam esse videamus. Cura saltem aliqua in ea servanda adhibebatur, neque fastidium idem vel odium quae saepius, ex occasione, pro operibus, artifices eruditique viri superioris seculi praetulerant. — Jam enim quidem, ad novam quamcunque animorum in vete-

1. Tria in primis instituta feliciter perfecit, quorum duo adhuc florent, et volumen quotannis unum edunt : 1833-1878, *Congrès scientifiques de France*. — 1834, in hunc diem, *Bulletin monumental* et *Congrès archéologiques de France*. — Ipse præsertim, in primis annis, apud *Bulletin monumental*, suum *Abécédaire ou Rudiment d'Archéologie* edidit, primum vere valens huic novo studio documentum, cujus plures abhinc editiones in vulgus emissae sunt.

2. *Revue archéologique*, 1850-1854 (t. VII-XI).

ribus artis nostrae monumentis verecundiam concitandam Albertus Lenoir plurimum valuerat, qui non modo fortiter et pie caecis exeuntis XVIII[i] seculi excisionibus repugnare ausus est, sed etiam omnigena undique a ruina et abolitione erepta opera in unum corpus colligere curavit, in illud *museum gallicorum monumentorum* [1] cujus descriptio, ab erudito viro studiose elaborata [2], eo majus apud nos hodie pondus habet, quod ex incuria, brevi, renovataque despectione museum plane vastatum est, operaque multo labore collata iterum dispersa perincommode sunt. Non minimi tamen momenti primum illud inceptum fuerat, ut animos saltem ad studium novum quodammodo informaret; sed, quod ad nos attinet, pro XII[i] XIII[i]que seculi operibus dico, nullo fere modo traditam velut eruditorum opinionem conversam esse censemus [3]. Quippe plasticae nostrae artis medii aevi omne incrementum et labor et feracissima industria aeque fere ac antea ignorata vel contempta videntur; cum nec A. Lenoir, neque Emericus David [4] ipse studium eis sincerum ullum attulerint. Notanda potius esset pagina quaedam sani et notabilis libelli ubi Amalricus Duval diversas XIII[i] seculi artes commemoravit [5]. Caumont vere non multo diligentius scriptis plurimis quaestionem eam persecutus est, etsi operum ipsorum indagationes et observationes ab eis acriter excitatae et probatae essent. Plura autem judicia, singularesque de plasticae artis medii aevi auctoritate existimationes, recentius in periodicis tabulis, utpote, quae *Annales archaeologici* dicuntur inveniri possunt : quippe quam utilissimam (etsi quadamtenus admixtam) eclogam Didron

1. In conventu Parvorum Augustinorum, Parisiis (nunc l'*École des Beaux-Arts*) diligentissime institutum.

2. « Musée des monuments français, ou description historique et chronologique des statues en marbre et en bronze, bas-reliefs et tombeaux des hommes et des femmes célèbres, pour servir à l'histoire de France et à celle de l'art. » Paris, 1800-1806. 5 vol. in-8°. — Diversos etiam separatim indices Musei sui singulis annis edidit Lenoir.

3. Commune ut exemplar, thesaurum bene notum (neque immerito) proponamus : *Dictionnaire des Beaux-Arts*, ab A. L. Millin, 1806; 3 vol. in-8° (art. SCULPTURE).

4. « Recherches sur l'art statuaire considéré chez les anciens et chez les modernes, » 1805, in-8°. — Post mortem ejus, quaedam « Histoire de la sculpture française » edita est, 1853, in-12, ex notis, prioribusque libellis Emerici David, instructa.

5. « Discours sur l'état des arts au XIII[e] siècle » apud *Histoire littéraire de la France,* t. XVI, 1824, in-4°.

ad repraesentationem praesertim omnium cujuslibet artis medii aevi operum condiderat [1]. Hae vero observationes saepe, opinioni eorum qui e suffossionibus quibusdam insolita opera repererunt, similes videntur : inventa scilicet plus aequo laudibus extollunt, nec severa satis censura perpendunt.

Quae etiam rariores et magis singulares vere fuerunt, ut, vel vulgarem opinionem mutarent, vel saltem apud plerosque artifices, artiumque amatores plus minus valerent. Immo dici fere potest, consuetudinem illam, in aestheticis quaestionibus vel artis historia, ab inclinatione veteris disciplinae ad ejusdem (ut dicitur) apud nos restitutionem, uno quasi saltu transcendendi, usque ad nostram aetatem durasse. — Summus enim ex alto conspectus quidam, et in universam medii aevi sculpturam explorate facta recognitio, tanti sola erant ut conversio illa opinionum, — cujus haud recusandum momentum est, — felicius effecta esset. Auctor sane cultus hujus novi quasi praevius fuit Viollet-le-Duc, egregius architectus, vir in artibus eruditione summus, qui, cum vitam in pertinaci vere veteris nostrae industriae monumentorum studio totam consumeret, scriptis simul, peritissima graphide exornatis, indagationum suarum summam mandandam curavit. Longum igitur et gravis momenti caput « thesauro », suo bene noto « gallicae architecturae a VI° usque ad XVI^{um} seculum [2] », in sculpturam medii aevi impendit. Opus eo magis dignum est ad quod respiciamus, quod solum vere super illa materia quoddam pretium habet, vulgoque quasi summa lex existimatur. Non tamen quod inter optima auctoris aestimari possit, nec ratione vel exemplis plane probabile videatur. Ille enim, sagaci curiosoque conspectu suo eximius, et qui tot varias ingeniosasque observationes undique collegerat, justa saepe synthesi (ut dicimus) in tractandis eis caruit ; cum probandi cupidine studioque et contentione mentes ad propria sibi argumenta alliciendi prolapsus, non satis laboris (ut videtur) in concoquendos apteque componendos libros insumebat.

Inde caput ejus, quod dixi, de patria sculptura, cum plures jam disputandi causas praebet, tum etiam longum, verbosum, male ordinatum videtur, saepiusque certo quasi petitionis inten-

1. *Annales archéologiques*, par Didron aîné, 1844-1872, 27 vol. in-4°.

2. « Dictionnaire raisonné de l'architecture française du VI^e au XVI^e siècle. » Paris, Bance et Morel, 1854-1870, 10 vol. in-8°.

tionisque proposito inquinatum, vel minuta quadam injustaque velut simultate, quam parum opere dignam, immo leviter ridiculam dixeris. At auctoritas nihilominus viri, — cui maxima sane et laus et gratia debetur, — cum jam felix et efficax pluribus inventis inceptisque generatim praestitit, ad sculpturae praecipue medii aevi aequiorem cognitionem accuratioremque intelligentiam, oblivione quasi ut monstravimus deletae, divulgandam valuit. Nam ejus obstinatae contentionis, curae et industriae assiduae, beneficio, compositum et conditum est tandem apud nos, Parisiis, in palatio quod « du Trocadero » dicitur, museum novum proprie imaginibus, gypso expressis, praecipuorum patriae externaeque sculpturae operum ab XI° ad XVIII^{um} seculum asservandis, addictum. Plures etnunc desiderantur, at maximos jam ex eis quae insunt fructus capere licet.

Illius enim unico perutilis musei beneficio, hinc jam facile aptissimeque artis nostrae miracula perpendi et comparari possunt, quae adhuc latissime sparsa erant; licet et ea (quod maximi esse momenti constat) describere, proponere, appellare, non secus atque exemplaria ipsa ; nec jam imitationibus vel exemplis quibuslibet, plus minus imperfectis, fides quasi necessario debetur, seu ex sculptura, seu ex photographe etiam expressa illa sint, quorum nimiam antea auctoritatem praesenti hoc labore rejicimus. — Lubricum enim, ut opinor, fuisset, si gypsa non suppetiissent, sinceram operum censuram proponere, quanquam exemplarium majorem partem ipse inspicere potui.

Nunc sane notabilem, ex quo Viollet-le-Duc scripsit, in perpensura quaestione patriae artis, progressionem quamdam in mentibus effectam esse constat; et statuaria nostra vere, quae jam majorum nostrorum egregium decus, non a nobis modo sed et ab externis, aestimari coepta est, locum nunc meritum in memoria tenet. Est quasi conversio universa opinionum, quae etsi quando immodica apparet, si ab imprudentibus confidentioribusque fautoribus quibusdam aliquantum vitiatur, si non acre semper et exquisitum judicium, non serias liberasque vere opiniones probat; — denique si, arctior, ut ita dicam, quorumdam hominum eruditio, in ipso eorum ingenio subtilem *artis* ideam obruit ; — at sincera haud dubie, studia observationesque et artificum et eruditorum aetatis nostrae, in decretorias conclusiones evadent. — Hic igitur propositum est ut aliquid, pro virili parte, ad rem conferamus.

CAPUT PRIMUM

QUATENUS PRIORUM SECULORUM ARS XIII[i] SECULI STATUARIAM PORTENDERIT

Necesse mihi videtur, priusquam artem XIII[i] seculi praecipuaque ejus opera percenseam, brevem imaginem operum artisque prioris aetatis delineare. Nulla quidem (ne quis fallatur) cognatio intima est inter utriusque aetatis doctrinas et rationes, neque existimandum est priorem artem, certo quodam et continuo cursu, quasi perfecta maturitate in posteriorem transisse. Immo etiam, — quod et nos in transitu notamus et quisque non aegre recognoscat, — dum architectura prima post tentamenta dubitationesque, statim quasi freta institutis Romanae basilicae rationibus, potius sensim immutatur quam perficitur, secundum novos usus, urgentem necessitatem, auctam operariorum peritiam, studia inventaque magistrorum, progressu constante, sine intermissione, ut artem decet cito velut pede pergentem, sibi fidentem, conceptisque et confectis aeque liberam, — longe aliud aetate eadem (dico aetatem pulchrae *romanae* architecturae, primumque spatium *gothicae*, quo impetu nullus sane major medio aevo fuit), — sculptura spectaculum praebet.

Nam ea artem tardiorem manifesto profert; plastica enim ornatio ecclesiae cujuslibet, ceterum praeclarae forma, ratione, lineis, dispositione summa, si eam prope inspexeris, scaevitatem, inscitiam, immo deformitatem oculis praebet, quae singulariter absolutae ipsius aedificii speciei repugnant. Est quasi disparilitas quaedam, vel incongruentia inter structuram atque

ornatum, quae statim attentum animum movet. Illudne vitium aut imbecillitas statuariae attribui debet restricto spatio ei diu ab architectura quasi concesso, inde et minori curae datae ad hanc plasticam artem aesthetica ex ratione informandam, dummodo summae aedificii ornationis effectus pulchre procederet, quod revera semper felici modo cecidit? Utcumque est, miratur, qui observat comparatque aliqua ejusdem aetatis, diversarum vero regionum, aedificia (quin, ejusdem etiam regionis), quanta varietas sit typorum et generum : cum hic studium eminet dignitatis atque amplitudinis, effectu imperfectae; tum illic rudis vel ridicula vel deformis naturae imitatio ; — hic sincera ingenuaque et quasi de vivo expressa veritatis cura; illic imago quaedam veterum morum pactorumque plus minus male effictorum : — ubique (quandoque velut in eodem opere) nescio quae mistura vel temperies adversorum elementorum et discrepantia partium, praecipue pro regionibus incredibilis inaequalitas operum et industria.

Scilicet primi sculpturae labores diu vere rari sparsique fuerunt, cum architectura, ut supradictum est, perpauca primum plastica opera cum suis lineis misceri pateretur, cum ipsa etiam sculptura minime proprium fecundumque ingenium operibus praeberet. Tunc externo adminiculo usi, quaesierunt plastae circa se, quid ex antiquis ruinis vel longinquis artibus haurire possent, vel sensus, vel formas, vel typos; sensimque laborem unusquisque variis rationibus et artificiis, pro copia sua, perficere conatus est : quid plura? ubique ambigui etiam quasi praetentaverunt. Nec longe aliud feliciora medii aevi tempora statuariae spectaculum praebent : sine enim disciplina, sine firmis praeceptis, cum incertis vero principiis, dubiisque ante oculos propositis, quae rudis adhuc et impar aetatis hujus cultus praefinire nesciebat, quid mirum si artifices haesitavisse videntur? — Quid futurum igitur fuit, nisi sparsi conatus, disparesque pretio successus? Inde tot varii typi, tot genera operum, scholae plurimae, quarum aliquae definiri potuerunt ac de quibus mox pauca dicam. Jure igitur et merito aetas illa, id est XII[i] seculi spatium, praesumptio quaedam habebitur, neque aliam ob causam brevis ejus observatio non supervacua sane fuerit, antequam verae novationis, quae subito artibus XIII[o] seculo prodita est, studium incipiatur.

XII° quidem seculo hoc spatium circumscripsi, quo plastices ars, rudis generatim inscitaque, viam quasi suam quaerit. Sed reipsa etiam contrahendum esset, si eis tantum studere operibus oporteret quae in statuaria quodammodo artis nomine non indigna viderentur. At merito tamen, si diligentius inspiciatur, ab extremis XI[i] seculi annis, quasi affectus quidam novus constat, inconsulta velut cupido, in rerum expressu et proprii cujusdam laboris cura. Quanquam superioribus quidem seculis, non nullis (ut aequum est) sculpturae operibus praecipua aedificia distincta apparent, quodam saltem ornatu : fontes diversos fuisse primis artibus notare etiamnunc licet. Servaverat imprimis fabrica communes Romanorum proximi aevi in ornatu cultuque parietum pilarumve rationes. Quantum potuerunt primum, ecclesias ornatibus ex antiquorum Galliae monumentorum ruinis desumptis exornaverunt structores; post, his opibus deficientibus, exempla imitationesque recte aut secus ex eis informaverunt. Meridianis praecipue Franciae provinciis, plurima inveniuntur momentorum eorum vestigia quae, etsi fere ubique vulgata, diutius in Provincia perstiterunt, ubi minus quoque Gallico mixta sunt ingenio. Rationem etiam habere oportet quorumdam barbarorum irrumpentium, quibus cultus aliquis proprius erat; non Francos dico, efferatos magis, sed Burgundos et Wisigothos. Nec, tandem, omittere decet praeclara nono seculo imperialis apparatus restituendi tentamenta, illamque renovationem a Carolo Magno inchoatam, consuetudines cum Turcis Byzantinaque aula factas, mutataque munera, et maritimum cum Orientalibus populis commercium, quod ulterius quam vulgo creditur in Franciae regiones, per Venetica emporia, pervasit (Lemovicis tenus, dicit Viollet-le-Duc), diffusisque variis byzantinarum artium exemplaribus materiam novam, apertumque campum artificum imitamentis patefacere valuit.

Quae omnia plusve minusve imperfecta ineptaque sculpturae rudimenta, primas apud latomorum officinas, vestigia jam ante XI[um] seculum reliquerunt, quae eo verum extremo praesertim aevo aperte, ut dixi, discernuntur. Viollet-le-Duc diligenter, etsi summatim (perpauca enim opera restant), monstravit quo modo dispertiti sint varii externi in artem effectus, per diversas Franciae provincias, hoc tempore quo ars illa propria esse incipit, Cruciatarum dico tempore. Tum, classicae rationes vix alibi

quam in Provincia asservatae esse videntur, quod ad statuariam saltem pertinet; aliis vero regionibus, quo minus meridionale commercium pervaserat, ut Pictavia, Petragorico, Santonia, et Francia, et Normannia, rudis gallo-romana ars (statuariam etiamnunc dico) permanserat. Byzantina vero ars longe vividius florebat, validiorque ejus effectus in Aquitania, Lemovicinio, Rheno, quin et in Arvernia, et Nivernensi Bituricensique praecipue regionibus, quoad statuariam, atqui fere omnes ceteras etiam, quoad ornatum, influxit.

Ad summam igitur, ineunte XII° seculo, quinque scholae, arte et ratione distinctae, definiri posse videntur : Rhenus, veterrima schola, cujus mores a Carolo Magno statutos esse dici potest; Provincia; Tolosanum; Lemovicinium; et ultima tandem, de qua nihil adhuc dixi, recentior simul et proprio praestantior ingenio, Burgundica et Lugdunensis schola, quae fere omnino directam auctoritatem monasterii et ordinis Cluniacensis accepisse videtur. Viollet-le-Duc praecipuo amore huic ordini, ut ecclesiarum structori, indulgebat, eique etiam in omnibus artibus pondus et momentum attribuebat, quae merito immodica et iniqua aestimata sunt. Hic quoque, cum principalia discrimina liquido monstrare valuit quae inter scholae hujus statuariam, XII° seculo, operaque ceterarum Franciae regionum apparent, tum altius fortasse, mea quidem sententia, amplitudinem auctoritatis ejus effectusque extollit, ac praesertim exsuperantiam operum, ex novis illis rationibus proditorum, collatis eis quae hactenus aliis in provinciis, aliis ex exemplaribus artibusque expromebantur, nimis probare cupit.

Complectar breviter quae summa doctrina certoque saepius acutoque ingenio, vir eruditissimus Viollet-le-Duc, de illo singulari artis statuariae apud plastas nostros incremento disputavit. Nihil XI° seculo in Franciam e byzantinis officinis importabatur, nisi eburnea opera, et auro argentoque caelata, pannique pretiosi ac textilia : generatim igitur ornatus sculptura, anaglypta, sigilla; dum parum in arte illa vera statuaria inerat. Quorum operum recta imitatio saepe non a quodam hieratismo (ut, parum proprie, dicitur) egredi valebat, a rigida substrictaque ratione, satis apta tamen et convenienti proportionibus, momentum cujus et vis non negligenda sunt, quia auctoritatem suam ars illa fere ubique, usque ad posteriorem sane aetatem

produxit. — Longe alia verum ratio est byzantinae auctoritatis apud quaedam praecipua Burgundiae monumenta, ineunte jam XII° seculo. Ex picturis artis ejus, vel minutae (quas « miniaturas » dicimus) vel fortasse tectorio affixae (quod ita Orientis monasteriis in usu erat) in animum induxerunt Cluniacenses monachi sua sibi exemplaria sumere. Commode inventum, quia amplior campus patebat; liberior materia, quia vera praesertim ornatio ecclesiis praebebatur. Inde novi sculptores ingentes fabulas confingere, ordinare coeperunt, imitationique rectae novum fortasse quoddam, ut dicimus, dramaticum, paullo majorem veritatem, addere valuerunt; quanquam sine scrupulo habitus gestusque affectatos, et quasi excruciatos aut ex industria tortos, susceperant, et staturas corporum ascetica velut macie immanique simul magnitudine praeditas; et vestes etiam illas immodice insolentes; personas denique, in totum, ut cum maxime omnibus modis a natura et veritate distantes. — Pernotae sunt enim vestes illae calido quasi ferro compositae, rugisque circumgyratis quibusdam in partibus exornatae. Id prava ex ratione inventum, ea falsa elegantia, eo infeliciore exemplo fuit quod auctoritas ejus plurimum, inter varia orientalis artis elementa in Franciam invecta, ac diutissime valuit. Non enim ante extremum spatium XII^i seculi statuariam nostram ridiculam illam cultus disciplinam omisisse dici potest; Franciae scholam dico, tunc solam florentem.

Aetate vero ea, capita personarum jam diu cetero corporis habitui longe praestabant, meritumque singularis hujus incrementi, primi sane progressus proprii plastarum ingenii in exprimendis sincere et satis artificiose personis, imputare haud dubie decet rationi ex qua, ab initio, novi Burgundici sculptores effictis figuris ingenuos indigenasque typos attribuerunt. At prima tamen tentamenta illa omnino inscitis maleque praeparatis artificibus in mentem venerunt. Ars ipsa, vel potius artificium, vix sese adhuc e rudi barbarie superiorum temporum exuerat, operaque nova, primum, deformitate insignia sunt. Quae enim, ad summam, fuit propria virtus insolentis illius simul ac depravatae, etsi studentibus utilis, scholae, cujus Vezeliacensis abbatiae porticus tympanum absolutissimum exemplar superest [mus. Trocad., n° 107]. — Eminet hinc affectatio quaedam dramatici, ut dicimus, elementi, et incitatus personarum, tanquam

in spectaculo, habitus; illinc quem diximus usus indigenarum verorumque vultu typorum. Ceterum, si quis convenientiam et venustatem artis requirat, profectus nullus, progressio nulla est, nihil non facticium et extra veritatem. Haec ratio artis, quae Cluniacensis scholae propria est, singulare, separatum tentamentum habendum est, non sine laude quadam, sed nullius prope in posterum momenti; ac praesertim diffidendum est, ut opinor, eam ad artis statuariae processus plus contulisse quam quae semper rationes interioribus meridianisque Franciae partibus, quin septentrionalibus adhibitae fuerant, secundum plusve minusve imperfecta gallo-romanorum sarcophagorum, byzantinorumve eborum, exempla.

Non enim omnia xi[i] seculi, inceptique xiii[i] opera (ubicunque Cluniacensis auctoritas non valuit), vulgaria aut inepta apparent, aut sine spe in posterum. Exempla minutae sculpturae quae byzantinae negotiationes vulgare solebant, quamvis artificiose composita, exilia vel invenusta saepe essent, hoc utilia erant quod commoditatem et aequitatem membrorum in personis satis accurate servabant, nec minime vitam, veritatem, varietatemque formarum omittebant. Sic unum ex illius primae propriae artis scholae praestantissimis operibus exstat, quod proponi haud dubie possit tanquam typus quidam genere suo egregius, tympanum dico, perfecte integrum, quod ex ruina frontis primitivae abbatialis ecclesiae Caritatis evasit, et interiore nunc transsepto asservatur [nº 65]. — Quae Cluniacensis abbatia erat : ita opus ab eadem manu profectum erat, quae posterius, mutata penitus disciplina, novis rationibus gubernata, ingentem Vezeliacensis porticus januam exsculptura erat. Haec duo opera nullo sane modo conferenda sunt : at utrum propius ad veritatem accedit? — Nonne parvulae Caritatensis tympani personae vere vividiores, et callidiore arte expressae quam giganteae istae, planae, angustaeque et in longitudinem productae figurae Vezeliacensis porticus, etsi amplior effectus sollertiorque compositio proponitur? Immo eadem etiam aetate prior disciplina haud prorsus omissa fuisse videtur, nam archivoltae vel antepagmento quod tympani arcum cingit, parvulorum sigillorum ordo affixus est, quae, minuta demensione, longe convenientiora sunt quam enormes effigies quibus illa quasi limbi vicem obtinuerunt.

Accidit perincommode quod ceteris ingenuis statuariae

scholis, Aquitanica, Tolosana, Engolismensi etiam et Santonensi..., impetus progressusque sui omnino impediti sunt, subitoque etiam quasi exstincti per civilia bella quae omnem Galliae meridiei regionem XII° seculo vastaverunt. At impetus tamen ille egregius quoque et pollens quodammodo labore erat ; quippe qui etiam, post primum byzantinae artis spatium, sibi per veritatis simplicis studium, imitationemque indigenarum typorum, conversionem quaesivit, renovationemque fecundam formae usque ad hoc tempus quasi sacratae, etnunc non aeque jam concinentis cum recentioribus patriisque affectibus. — Ubi enim non id quaesitum apparet? Cum Pictaviensis schola, quae uberrima, etsi parum hoc tempore perita, minorisque momenti erat, opera praebet quae perfecte misturam eam byzantinae artis, veritatisque curae, diu apud ingenia artificum valuisse monstrant. — Hisce etiam scholis compositiones ampliores complexioresque informatae sunt, personae dramatico quodam afflatu sunt animatae, motus ac vita spectaculis appetita sunt.

Unus ex saepius adhibitis superiore aetate typis capitum, septentrionis aeque ac meridiei regionibus, has notas praebet : magnos in amygdalae speciem oculos, eminentes genas, demissam reductamque frontem, quam premit capillorum velut pileus, caput posterius usque ad cervicem tegens ; imberbum os, more romano, quandoque non sine venustate. — Nova personarum capita prorsus ab illo minime patrio typo discesserunt ; quamvis tamen nostratia eque vivo ducta esse videantur, non magnam adhuc varietatem ostendunt : in parem contra formam quasi conjecta sunt, quod vitium saepius medii aevi operibus inest. *Conventio* (ut dicimus) ceterum, in capillis et barba, vestibus etiam servata est ; in habitu gestuque difficultas et affectatio. Inest vero in summa aliquid proprium, ingenuum, quod exspectationem movet, quantaecunque sint reipsa insolentia et deformitas. Proferam ut absolutissimum fortasse exemplum scholae hujus generis, magnum tympanum januae frontis ecclesiae Moissiaci [1] [n° 73]. Christus, enormi crassoque et gravi statura, media aureola sedet, coronatus et benedicens ; stant juxta duo angeli, nutum ejus intuentes, dextrisque turibula tenentes ; atque ex utraque parte quattuor evangelistarum figurae vel animalia

1. Tarn-et-Garonne.

distributa sunt. Prope subterque, ordine sedent XXIV senes Apocalypsis, una manu organum, altera poculum tenentes. Plastes, cum persona quaeque caput tollit, collaque enixe ad superiorem Christum invisendum reflectit, cuique disparem expressum attribuere conatus est, et, ut vera dicam, non mediocriter proficit. Exceptis enim, cum Christo, duobus angelis, qui, ut tunc fiebat, spretis justis mensuris, usque ad os Christi immodice producti sunt, omnes mediae staturae personae bene convenire partibus videntur, sollertiamque, veritatem libertatemque manus praestant, sane meliores industria, valentiores etiam arte, — etsi paululum ridiculi sunt typi, neque aptissimi personis, — quam ingentes inanesque Vezeliacenses vel Augustodunenses (januae frontis cathedralis tympanum, fere prorsus mutilum [n° 25]) fabulae [1]. — Viollet-le-Duc, qui de Moissiacensi tympano non loquitur, diversas imagines commemorat, Tolosa asservatas, quae quoddam dramatici studium probant, vere autem hoc opere, quoad expressus rationem habitusque veritatem, multo pejores sunt.

Vicina schola ejus cui Tolosa domicilium erat, longius progressa esse videtur, quamdam etiam perfecti speciem sibi proposuisse; meritoque parvum Christi, media aureola stantis et benedicentis, ectypum signum, tympano januae Cadurcensis cathedralis affixum [n° 38], etsi non vitiis in gestu vestimentoque caret (nam leviter formam veram graphide Viollet-le-Duc ornavit [2]), productum est ut summum opus artis alicujus quae sese magis in dies a byzantina disciplina, forsan ante validiorem septentrionis scholarum artem, vindicabat.

His enim septentrionalis Galliae in officinis summa spes futurae per medium aevum statuariae posita erat. Licet Burgundicae scholae jam ineunte seculo inchoatae auctoritas, quodam modo ad eas informandas valuerit; — nam compertum est non multo ante mediam XII[i] seculi partem Franciae scholam vere constitutam fuisse, — nullum tamen consensum, nullam

1. Novum illud naturae studium satis late, hac aetate, regione eadem, apparet, et in ineptioribus scholis. Sic Pictavae artis frequentissima sed imparia, neque ullo modo ibi objicienda, monumenta, id aperte temperamentum byzantinae disciplinae cum viva quadam observatione testantur. — Cf. Troc. mus., n° 83 (Pictavis, apud Beatae Mariae Magnae ecclesiae frontem).

2. *Dict. d'Archit.*, t. VIII, p. 132, V° SCULPTURE.

rationem similem inter utramque disciplinam reperias, nisi imitationem byzantinorum elementorum utrique communium. Immo, novata ex scholae Franciae disciplina, plastae e veteribus byzantinae sculpturae exemplaribus sagaciore judicio utilitatem ceperunt, quam Cluniacenses e picturis. Haec, ut peculiares diversosque ingenio typos, exempla proponam : tympanum prioris portae Virginis, Parisiensi cathedrali nunc dextera janua inclusum; diversas frontis Carnotensis cathedralis imagines; et duas Corboliensis ecclesiae statuas, nunc in Sⁱ Dionysii basilica asservatas. Licentia nobis concedatur in illis operibus paulisper commorandi, quia vere ab hoc primo nisu Franciae scholarum XIIIⁱ seculi renovatio orta est.

Dextera frontis cathedralis nostrae janua, dicta sanctae Annae [n° 79], reliquum est veteris romanae ecclesiae, accurate, ut dixi, novo incipientis XIIIⁱ seculi aedificio inclusum. Supra limen fasciamque satis largam quibus variis spectaculis historia Virginis ficta est, Virgo ipsa apparet, inter angelos diversasque personas, coronata, sedens, infantemque Jesum sinu gestans. More aetatis hujus, Virgo adversa sedet, puerum in gremio adversum quoque benedicentemque dextera manu firmat, sinistra vero sceptrum erectum tenet; persona quasi in zotheca posita est, sub arcu cameratoque hemisphaerio, aliquot campanilibus ornato. Frequens est hic typus, pluraque proferri possent exempla. (Cf. [n° 60] tympanum januae frontis meridiei Donziaci ecclesiae (Nièvre); vel, Gassicurti (Seine-et-Oise) in ecclesia, separatum Virginis cum Puero signum [n° 62], aliudque in S° Martino de Campis olim, nunc in Sⁱ Dionysii basilica asservatum [1]; vel frontis Carnotensis cathedralis ectypum opus, etc.) Ille etiam diu, usque ad incipiens XIII^{um} seculum duravit (praesertim in Laudunensi cathedrali, Remisque in interiore transsepti septentrionis porta, sub trilobato arcu sedens [n° 168]), nec aliter de Christi simulacro. Haec Parisiensis prioris cathedralis sculptura, byzantinam adhuc artem plane spirat habitus, ornatus, vestis, gestus, rigidiora omnia, et quasi ex pacto composita; partes vero convenientes satis videntur, effectus non sine libertate peractus est, vultus jam vivarum formarum studio, veritatem quamdam praebet, inest tandem in summa gravis

1. *Gazette archéologique*, A° 1884, pl. 42.

ingenuaque modestia quae suam vere haud vulgarem, inter tot alia tristia deformiaque aetatis ejusdem opera, venustatem habet. — Ceteras circumfusas imagines omittam; quae subsimilibus figuris vestibusque expressae, rigidae aeque ac strictae quemdam quoque decorem habent, illamque pulchri curam probant quae jam praestantiam denuntiat.

Alia arte effícti sunt typi personarum quae tres januas Carnotensis cathedralis frontis, omnimodis imaginibus ornatibusque quasi refertas, exornant [utputa n[os] 41-55]. Indigenis variisque exemplaribus capita assumpta, natura ipsa in vultu, vulgaris rudisque forma in oris intentione expressa est; non de absoluto quodam pulchro quaestio concepta, sed de vitae communis imaginis vividissimo effectu; qui peculiare quoque pretium habet, ineptus verum aliquando videtur et fastidiosus, dum eadem semper vultus intentio producitur, ut, exempli gratia, risus ille quo tot medii aevi statuae vitiatae sunt. Ipsarum ceterum statuarum habitus gestusque corporis *conventione* solita, rationibusque prioribus etiamtum impediti sunt. Christus tympani medii, cum aureola adversus sedens, duas illas species distincte praestat [n° 41] : capiti plane indigenae, ingenuaque venustate quadam praedito, corpus habitu gestuque rigidum junctum est, exili veste more byzantino composita indutum. Stantes prope, statuae parastatis vel columnis affixae postes exornant. Ad rationem solitam, quae diu pluribus locis viguit, personae illae, ne supra modum pro totius structurae effectu promineant, quasi in longum per complanationem ductae esse videntur : qua de causa incommode macrae et porrectae sunt, velut in vaginam insinuatae, quattuor tabulis impeditae, intra quas membra conari videntur ut locum suum usurpent, rigidaque et torpida apparent. Vestis refert corporis contractum, etsi statuae plures veritatis in effingendo aetatis ipsius cultu ornatuque feminarum praesertim curam probant, quae inaestimabilis sane nobis hodie videtur; necnon ratio ista byzantina, quam jam diximus, vestes minutas in rugas contrahendi, eas, exiliores, si pote, ineptioresque efficit.

Non hae tantum magna statura imagines commemorandae sunt, nam permulta, ut jam dixi, copia mediocrium signorum sigillorumque tympana, parastatas, postes, et archivoltas arcusque januarum obtinet, quae ut solitum effectu et decore haud dubie

ceteris antecellunt. Id enim notandum saepius erit, et in posteriore seculo, minutam statuariam plerumque liberiorem, medio aevo, sollertioremque quam magnam, fuisse. Nec mirum, quia non easdem huic generi sculpturae rationes plastae strictas rigidasque assignare solebant. In minutis vel symplegmatibus, vel distinctis sigillis, tolluntur pleraeque difficultates et cunctationes quas imperita ineptaque manus minime superare valet : comparatum dico totius congruentiamque partium, opere prius designato formaque velut incluso difficiliorem effectu. Quae inde simulacra cum frigidiora saepe, sede defixa, inertia, inania videntur, tum sigillis, contra, mensura circumdantium, veritas gestus, mollitia et simplicitas etiam habitus, omnimodis fabulis, morumque usuumque vitae communis spectaculis vivide expressa sunt : venustas vero personarum ex artificum ingenio inveniendique copia. — Carnotensis cathedralis in januis, vestis adhuc, aliquandoque habitus plurium figurarum Byzantina vere studia denuntiant; at plures quoque haud dubium progressum, certumque gradum ad plenam libertatem formarum parandam testantur, et valentiorem, ut opinor, quam magnae juxta statuae. Ita quaedam, exempli gratia, inter ea quae gypso ducta sunt, sigilla proponam; in recta porta, osculum Judae (XL modo centimetris altum, duarum personarum symplegma), et, in media porta, tres Apocalypsis senes, recti stantes, duplo majores.

Nunc ad duas illas statuas venio, regis reginaeque effigies, quae, olim fronti Corboliensis ecclesiae affixae, nunc Sancti Dionysii in basilica asservantur [n° 59] : id summum, mea sententia, aetatis hujus opus est. Nihil unquam perfectius ratione et disciplina sua, Gallica XII[i] seculi ars (qualis saltem ex tot ruinis superstes apparet) edere valuit. Corpus quidem, ad modum aequalium Carnotensis cathedralis statuarum etsi ampliore effectu, rigidius semper et quasi vaginae insertum, longum planumque; vestes rugosae membrisque haerentes ; his enim a vitiis sese aetas illa expedire nequivit. Capita vero et manus arte ingenioque longe omnibus ceteris temporis ejusdem exemplis, praestant : quippe quae nec consecrati velut typi, nec vulgares indigenae effigies appareant; neque affectatam quaesitamque molestiam, nec rudem scaevamque negligentiam proferant : vultus contra auctoritate et dignitate instinctus est, vereque typum repraesentat alicujus insciae fortasse indagationis pulchri

summi, supra naturam positi et quasi divinioris, cum vivo veritatis expressu et venustate juncti; nec vitium etiam istud odiosum habet operis quod tritioribus manibus effectum pumice, ut dicimus, expolitum videtur, ut fit saepius, XIII° seculo, in decoris quibusdam exemplis quorum suspensa velut forma a mediocribus plastis defixa est. Manus quoque, etsi gestus rigidior, molliter ac pure factae sunt. — Mediocri etiam processu opus est, ut inertia suis velut fasciis corpora expediantur, torpidae personae quasi excitentur, vitalis anima per membra diffundatur, totumque opus naturae renovetur imitatione. Hanc viam ingredientur XIII[i] seculi plastae, novatis, quantum et intelligent et poterunt, rationibus ; — iniquum vero esset, singularem locum, ante et extra impetum illum recentiorem, duabus Corboliensibus statuis non attribuere : nam jure dici potest, dignitatem et gravitatem oris raro felicius in posteris signis expressas esse, idque etiam unum ex elementis statuariae XII[i] seculi caput fuit quod novae disciplinae nonnullius momenti esse potuisset.

Defixas tantum ecclesiarum nostrarum statuas, frontisque januis praesertim applicatas, hactenus memoravi; quae quidem peculiare aliquid habent, opportunioresque definire cupienti quae fuerint tunc artis rationes. Non tamen non separatae etiam aliquae, et velut expeditae, statuae fuerunt, ligneae saepe, minores fere statura, praecipue Christi, crucifixi, et saepius Virginis cum Puero sedentis, imagines, intra ecclesiam, super altaribus vel pila quadam affixae; plures vero nunc privatis glyptothecis, publicisve museis asservantur. Sed et paucissimae studio praestant, nec multo plerumque cum magnis frontium ecclesiarum statuis ratione manuque, etsi aliquando accuratius exsculptae videntur, discrepant; nec libertatem vel veritatem etiam eam praebent quae in pluribus ectypis januarum sigillis deprehenduntur. — Mutantur ceterum, admodum magnae vel parvae statuariae, cujusque operis typus, habitus, genus, pro rationibus et disciplina scholae a qua expressa sunt. Signa igitur cum plura gestus, habitus, vestes, ad byzantinum morem praebent, tum cetera etiam typos, vel gallo-romanos servant, vel indigenas studio novo veritatis exprimere conantur. — Quaedam jam, cum de Virginibus agebatur, hujus generis notabiliora exempla proposui. Nonnullis adhuc romanis ecclesiis, in Arver-

norum praesertim regione (Claromontis, Orcivallis, etc.), una aut altera imago asservatur, quarum aliquae *nigrae* dicuntur, ob materiam, sed pleraeque quidem vulgares rudique manu effictae sunt. Ita Virgo quoque lignea Tornusii ecclesiae notanda videtur. — Christi vero pauciora sunt saepiusque inapta simulacra (inter quae tantum illud proferam, manu praestantiorem, quod L. Courajod, in *Gazette archéologique* [1] felicius descripsit. — Cf. etiam Caumont, *Abecedarium*, quo nonnulla Virginis et Christi sigilla delineata sunt).

De reliquo ecclesiarum ornamento, et apparatu, nihil dicendum videtur, etsi abundanter anaglyptis sigillisque altaria, baptisteria, sepulcra, solia (cf. S[i] Nectarii ecclesiae *caput*, in Arvernia [n° 97], et Cluniacensis dictae domus museum, et Caumont, passim) XII[i] seculi ars exornavit; nam minuta illa statuaria, cujus paucissima vera arte exempla praestant, non tam aperte quam magna, novum impetum et aestheticae ut ita dicam progressionis instinctum probare potest, qui jam exeunte XII° seculo, quibusdam in statuis, ut monstravi, animadvertuntur, et XIII° seculo — quod nunc explorare maturum est — manifestius erumpent.

1. A° 1884, p. 91, pl. 14.

CAPUT SECUNDUM

XIII[i] SECULI ARTIS DOCTRINA ET MATERIA

I

XIII[i] seculi statuaria, vel magna, vel minuta, non jam eumdem spectantibus habitum praebet qui in XII[i] seculi operibus quasi praetentatus singulares, incertaque rudimenta tantum probare videbatur. Non quod typi quos illa invenit perfecti per se sint et absoluti : quosdam vero invenit, qui proprium genus perfectionis habent, et quorum singulares species in unum corpus coire videntur, incrementumque continue et decrementum recta via subierunt. Haec vere causa est cur studium illud mentem peculiariter detineat, subitusque ille vix inchoatae adhuc artis impetus videatur gratior, et dilucidius percipiatur. Nisus est enim et contentio aliqua, non circum disjecta, sed quae finita praecipue vicinarum provinciarum regione florent, quibus vix distinctas describere scholas valet, sed unaquaeque tamen officina genus suum typorum habet, suam plus minus valentem peritiam, plus minus rapidam celeritatem, dum eadem disciplina, rationes fere eaedem, materiae personaeque eaedem, omnibus aeque praevalent. Quae varia quaestionis elementa ordine explorabo, sed necesse est antea nascentis artis ingenium et facultates paucis notare.

Duos characteres artis hujus definiri posse censeo. — 1°. XIII[i] seculi statuaria tum statim incipit (regnante adhuc Philippo Augusto) cum vestis byzantinam ex compacto formam exuit, manifestoque jam e natura vivoque exemplari expressa videtur. Sic

quasdam aetate eadem statuas inveneris, quarum habitus gestusque byzantinas rationes vel scholae XII[i] seculi imperitam adhuc facturam testantur, cum vestis contra liberior veriorque efficta sit. Scaeva quidem sunt prima generis hujus rudimenta et inexercitata, quod vestes rudi judicio in corporibus inhabilibus, male quadratis, minime liberis adhuc et quasi vagina oppressis, dispositae sunt : inest tamen vera prioris disciplinae ejuratio, et quasi novus aestheticus instinctus. — 2°. Alter character statuarum in hoc est, quod vulgaritas vel nimia forte veritas vultuum, quam in prioribus personis observavimus, nunc repudiata videtur, subeunte nova quadam et excelsiore pulchri idea, certis quibusdam expressa typis. Ita viris os sedatum benignumque effictum est, feminis plena facies, mentum collo junctum, adumbratus aliquando risus. Qui sane venusti plerumque cultus et decori apparent; sed ratio eadem cunctis et non accommodata frigidam similitudinem gignit : dignitas oris et venustas, consulto sane quaesitae, saepius in fatuam serenitatem et speciem quamdam parum genuinae simplicitatis vertuntur.

Hoc, mea sententia, indicio est magnam illam statuariam, quam subita conversio in habitus vestiumque factura multo praestantiorem efficere valuit, forsan in exprimendo vultu deceptam esse. Ultima enim XII[i] seculi opera, duas peculiariter Corbolienses statuas dico [n° 59], instinctum et ideam pulchri, uberiores, ut opinor, quam prima posterioris aevi (majore etsi libertate praedita) significant. Hoc felicius jam temperamentum, ut ita dicam, vulgaris, ex indigenis typis assumptae, veritatis (cujus plures Carnotensis cathedralis frontis figurae praeclara jam exempla praebuerant), cum quadam elatioris pulchritudinis seriaeque dignitatis specie, si institutum, perfectum, animatum esset *nudi* studio (nam multum, vel egregio jam in opere, efficiendum supererat) insigniores, vividiores, utiliores effectus certe obtinuisset, quam quos in plerisque prioris seculi partis operibus comperimus : decorae quidem et vere elegantes imagines (ut bene notum Virginis portae tympanum, Parisiensis cathedralis fronti ex laeva parte applicatum [n° 153]), quas vero nescio quid fatui pumicatique velut, haud dubie imparis nimis, deformat.

Hoc igitur peculiari sub aspectu ars nova XIII[i] seculi statuariae, per prius (quod dicam) spatium ejus incrementi, spectantibus

obversatur. Licet adhuc a peritioribus desideretur, neque exquisito judicio plane probari possit, jam tamen, quoad vestem et vultum statuarum, pauca prorsus eximia opera exprompsit, quae certe quod optimum aetate illa fingi poterat assecuta sunt. Tunc vero, cum illud adeo notabili incrementum artis in progressione paulatim sua confirmaretur, ecce inclinatione nova, delicatiore cupidine omnia lente mutari coepta sunt : leporis et elegantiae studium tunc dignitatis honestatisque curam superat; formarum mollitia, capitum, habitus, gestus, vestium veritas et decor, mentem atque ingenium artificum potissime sollicitare videntur, qui sibi quidem majoris peritiae conscii sunt, novasque comparatas artes ostentare cupiunt.

At quam difficile cura ipsa optimi modum non excedere! Ut enim architecti aetatis ejusdem ubi praestantissima forsan patriae nostrae aedificia erecta sunt, sensim insolentia miracula structurae expromere, quasi ex sponsione vel ad praestringendos oculos, aggrediuntur, nimiaque tandem ipsa calliditas rem in pejus vertit, — ita et sculptores, post egregium cursum, cum in arte celsiorem gradum, ingenio manuque, technica et fortasse aesthetica etiam ratione, — quam prioris spatii XIII[i] seculi plastae, cum fastigium ipsum artis medii aevi assecuti essent, jam quasi materiam simul in sese gignere passi sunt vitiorum quae statuariae quoque deminutionem adeo maturare valuit. — Sunt in hoc posteriore artis increscentis spatio, plura egregia opera; inest quibusdam solutis statuis et copiosis symplegmatibus, vel praecipue etiam minutis anaglyptis ectypisque sigillis, libertas aliqua status, alacritas gestus, elegantia ingenuumque judicium habitus compositionis, ornatus, quibus nihil praestabilius in medii aevi artibus videtur. — Sed etiam sollertia, calliditas ipsa artificum, arsque immodice operosa exquisitaque quam ostentare solent, de sana pulchri indagatione imprudentes reducit, vitiisque novis opera inficit. Affectatio, subtilitas, depravatum judicium ubique invalescunt : dum hinc ora, per speciem veritatis vel ingenuitatis, defixo quaesitoque risu torquentur, corporaque jactantiore habitu, arcessito gestu, expressa, coxisque magis ac magis sub imagine elegantiae flexa sunt; illinc vestis ipsa implicatur, amittitque amplitudinem illam et simplicitatem unde vulgo praecipuum decus statuae capiebant, atque ut sibi mollitiam adjiciat substrictosque sinus repudiet, gravior fit saepius

et luxuriosior. Inde jam desistit progressio, etsi pulchra adhuc venustaque opera undique expromuntur; vestisque, ut vivida et felici conversione sua verum primo impetum statuariae movere valuerat, sic ipsa nunc immodico judicio deminutionem praecipitat; nunquam abhinc egregiam illam facilitatem recipiet plastice, quam posteriore spatio XIII[i] seculi multo felicius adhibuerat. XIV° enim seculo, post et quodammodo XV°, dives illa et fervida vis, et quasi spiritus gothicae artis (architecturae aeque ac sculpturae) magis ac magis quotidie exstinguitur : namque ambitiosa nimis, primum, mox ad inopiam ars delabitur, sensimque, quidquid proprii et singularis auctoritatem antea tantam operibus suis tribuerat, amittit. Alia vero simul merita, mores alii enascunt : nunc liberum Flandrensi Italicaeque longe alii renovationi spatium datur.

Sic in tres aperte definitos gradus dispertita statuariae medii aevi historia videtur : primum, tardiorem et longam praeparationis aetatem ubi rudimenta tirocinia omnimoda temere et quasi vires praetentando artifices efferunt; secundum, breviorem sed feraciorem, ubi dehiscit tandem quasi excoecata ars sculpturae, floretque libere et sincere, variis vere peculiaribus operibus novatum plastarum ingenium; tertium denique, ubi exquisitum et intelligens judicium per facilitatem aeque ac nimiam arrogantiam in inanem deminutionem defluit. — Nos autem, qui quaedam de primo spatio colligere curavimus, quia velut aditus secundi haberi potest, nihil de tertio dicemus, cujus opera, aliquanto pauciora etiam, mentem multo minus, judicio nostro, oblectare valent.

Ut igitur vulgo propriae vere et novae artes, statuaria Gallica medii aevi per tria solita momenta transiit, praeparationem, florem, deminutionem; constat quamdam artis illius similitudinem, pro ratione progressionis, cum Graeca utputa arte, non abnegari posse. Qua speciosa collatione non abfuit quin plures ex nimium incitatis admiratoribus patriae nostrae artis allicerentur. Ulteriore capite quantum res sinet examinabo num comparatio qua eruditi quidam unam alteri aequiparare cogitaverunt, affinitates quas inesse crediderunt peculiaribusque argumentis probare cupierunt, attentam et justam censuram quocunque modo sustinere possint. Quaestio illa, ceterum, curiosam tantum cupiditatem detinere valet. Scire necesse sit, quae significantes

virtutes, quae propria vitia hujus artis medii aevi essent, inde et quas res repraesentare artifices solerent, quos typos pro suis eligerent personis, quos eis status gestusque assignarent, quo modo proprium earum ingenium exprimerent et quo modo effectum, quem illa profectura cupiebant, imitarentur, quam tandem opinionem de pulchro conciperent, et quod denique aestheticum de eorum operibus judicium ferre possimus. Opportunum etiam sit perspicere quae condicio et fortuna sculptoribus et artificibus eis esset, quorum opera nunc observamus, quam secuti disciplinam laborarent, quibus rationibus uterentur.

Quae omnes quidem quaestiones quo plenius explanentur, non diligentem tantum pervestigationem archetyporum operum poscunt, sed etiam alius generis documenta, aequalia temporibus illis testimonia, quorum adhuc paucissima exstiterunt. Ego vero quidquid significanter dici potest colligam, ac diligentius praesertim opera ipsa persequar; atque hoc mihi sumam ut ea sensa mentis et opiniones exponam quae suggesserunt mihi aspectus observatioque quorumdam e praeclarissimis operibus, utque inde inferam quid sedulus existimator de arte illa servare debeat.

II

Antequam tamen propositum aggrediar, locus est dijudicandi, — nam et prima haec (ut par est) quaestio oritur, — quae causa fuerit principio artis illius XIII[i] seculi, quam merito mirari possumus ita subito in lucem prodiisse, adeoque ab operibus ultimis XII[i] seculi ingenio discrepasse. Quamvis eadem ars, ut vere intelligitur, asservata sit, ratio, disciplina prorsus conversa est. Artifices atque operarii, vel mutati sunt, vel ex longe alia regula et doctrina pendent. — Res plane patet, neque omitti ea spectantibus potest. Viollet-le-Duc (in egregio suo Gallicae architecturae thesauro), saepius studiosiusque subtiliorem et immodicam rationem proponit, quam jam bene notam breviter tantum contrahere necesse videtur. Monstrare studet communales mores, aetate illa, subito vehementissimeque adolevisse, monasticam contra vim et auctoritatem desedisse, tutelam monasteriorum pro episcoporum arbitrio detrectatam esse, libertatem quamdam

primum civitatibus concessam esse, civilemque communitatem conditam, novas artificum laïcas scholas institutas, novumque ad aemulationis studium provocatos artifices, ingenii impetum tandem resolutum, civitatesque beneficio fortunae usas, ad exprimendos plasticis ex imaginibus affectus diu repressos, libertatemque artis ita eo tempore existimatam esse ut apud nos typographes libertatem. — Non fusius disserendum est quam immodica et quasi ex compacto enuntiata illa opinio sit, ad id praesertim quod hic quaeritur explanandum, scilicet : qua ratione impetus novus quidam, vel potius novatae artes, in statuaria, incipiente ipso XIII° seculo, ex operibus artificum constent ? Atqui impetus ille urbanorum quorumdam ad majorem civilem libertatem, qui, reipsa, ortus est et maximi fuit momenti, non tunc ineunte XIII° seculo incepit, sed multo ante, priore XII^{i} seculi parte, qua aetate inepta adhuc et deformis, et veteribus semper rationibus defixa statuaria ecclesiarum nostrarum apparet. — Nec certius constat artifices monasteriorum auctoritate adeo impeditos, oppressos esse, cum easdem fere omnes fabulas postea expressisse videantur quas antea. Nec sane, nova illa libertas, opinionem suam simulacris significandi, causa est cur Christi vel Virginis felicius efficta signa sint.

In summa, quamvis non sine pretio nec contra fidem explanatio ipsa sit, at certe impar atque incerta nimis et male definita videtur, ad mentem vere explendam. Nec longe aliud de ea ratione dici possit (quam etiam penitus introspicere non inutile sit) ex qua, in moribus et ingenio aetatis ipsius merito laudati regni Philippi Augusti, in incremento studiorum philosophiae et scientiarum, in cultu omnimodo discendi, populumque docendi cupidine, praecipuae causae insignis illius in statuaria arte conversionis ponendae dicuntur. Haec autem quaestio (quam nos excutere loco ipso nequimus) in peculiarem electionem rerum personarumque nova arte expressarum quodam modo cadit, de qua tantum pauca dicam. — Illud etiam inquiri possit, nonne studium quoddam antiquarum vel gallo-romanarum imaginum, forte locis effossis inventarum, valentiores effectus, in vestem, exempli gratia, quae adeo ceteris praestabilior, nec sine affinitate quadam cum antiquis vestibus dispositione ipsa, videtur, protulerit. Constat enim, Remis posteriore XIII^{i} seculi spatio, nonnullas statuas directum manifestumque antiquae artis instinctum

tenuisse (quam ad quaestionem in extremo capite redeam); seriesque insuper gallo-romanarum imaginum, ut apud Senones, exempli gratia, repertas esse. At hoc etiam firmum minime argumentum, ad probandum illud quod jam dixi incrementum haberi potest. Denuo, documentis opus sit quae absunt, et res tantum qualis observari potest consignanda videtur. — Ita illud verisimile est, statuariæ artis progressionem cum majore exstruendorum aedificiorum studio, elatioreque judicio [1] artificum in structura ac compositione quarumdam partium cathedralium nostrarum nexam et conjunctam esse. Novae jam exquisitioresque artes et rationes ubique aetate illa probantur, majore cura et diligentia omnimodo ornatui studetur; inde et officinae ubique aperiuntur, artifices opificesque instituuntur, sensimque attentiore regimine perficiuntur. Nec dubium quin a paucis egregiis viris quos nescimus, singulariterque excellentibus hujus aetatis (regni Philippi Augusti) architectis, felicior illa instigatio evocata sit.

E diversis artificum scholis quas adhuc posteriore xii[i] seculi parte notavi, perpaucae modo xiii° seculo exstant, — quibus saltem scholarum nomen assignari merito queat. Neque aperta nimis, ut jam dictum est, quae inter eas intersunt, discrimina videntur. Ex provinciis, Francica schola dicitur (et Carnotensis), et Picarda, et Campanensis, et Burgundica, et Rhenana; Francica vero et Burgundica, ampliore ceterum auctoritate valentes, fere solae posteriore seculo supersunt. Revera, in cathedrali quaque, cujus frons sculptis imaginibus exornanda erat, officina propria extemplo condebatur, cujus exempla peculiaria circumcirca, etsi exiguum intra gyrum, plurimum valere poterant. Sic Carnutum, Laudunum, Parisii, Ambiani, Remi, post et Argentoratum, Autissiodurum, Lugdunum, Bituriges, Pictavis, etiam et Burdigala, tot diversi fontes sedesque statuariae haberi possunt novi plerumque, vel prorsus, ratione diversa, ab iis quae jam anterioribus annis praestiterant, renovati. Apud omnes quidem, affines

1. Viollet-le-Duc narrat se (*Dict. d'archit.*, v° CHRIST), cum partes aliquas Parisiensis cathedralis suffoderet (quas in priore xiii[i] seculi parte exstructas esse constat), fragmenta nonnulla invenisse proceri Christi cujusdam et quattuor animalium Evangelistarum, quae ultimis xii[i] seculi annis attribuenda videbantur, saneque prius in magno tympano mediae portae frontis exsculpta erant, postque (cum de novo mox instructa frons est) pro feliciore tympano illo quem nunc videmus mutata sunt.

connexaeque doctrinae apparent, at quibusdam discriminibus mixtae, quae non despiciendae sunt. Mox enim factura, usu, disciplinaque discrepant officinae : cum, primis temporibus, una retro nimis quasi subsideat, altera vero longius procedat. Sic Laudunensis cathedralis frontis, vel Silvanectensis, statuaria multo minus progressa esse videtur, quam Parisiensis, quae eadem aetate producta est. Mox, nec mirum, industria instinctusque magistri plusve minusve pollent; sic, Carnotenses statuae impares arte manuque sunt Parisiensibus, quae ipsae ab Ambianensibus distant : quas tamen omnes ejusdem fere scholae esse (ut dicitur) typosque plane vicinos et res non aliter compositas praebere intelligitur. Mox et typi ipsi et personae inter se dissimiles videntur, ut in aperte discrepantibus regionibus mores, usus, tradita varia exstant : Parisiis, utputa, cum Burgundia, cum Remis vel Biturigibus.

Tandem, eadem etiam in schola, regione eadem, discrimina quaedam operibus aperta praestant. Nec ea tantum dico quae ex proprio ingenio vel facultate plastae cujusque, etsi finem eumdem unus et alter petunt, quasi necessario efficiuntur. Cum enim idem plerumque, eadem parte aedificii ejusdem, tempore eodem exstructi, imaginum omnium in summa aspectus praebeatur, quia, hic, disciplina una totius convenientiae studiose curam suscepit; sunt etiam monumenta, quibus, ut Remis (prorsus jam pollente artis XIII[i] seculi aetate) diversi facturae modi, rationesque variae, operibus juxta positis apparent, mixtaque velut incuriose adversa et genera et artes fuisse videntur; quia illic, collatis undique artificibus vel opificibus, nec communis labor unusque consensus operae prescripti sunt, unde congruentia nulla partium fit. — Quod si addatur etiam, plerisque ecclesiis frontes vel januas ipsas non eodem fere tempore exornatas esse, indeque prorsus dissimilem unius et alterius operis aspectum videri, minime mirandum erit, si, paucis adeo ecclesiis, plasticae aedificii ornationi in summa ea quaelibet unitas, vel generis, vel manus, vel disciplinae est, qualis modo architectonicae structurae ipsi necnon ornamentis praebetur.

At longe firmius rectiusque horum quam illorum artificum consociatio vel, ut ita dicam, collegium fundatum erat. Dudum probatis usibus, rationibusque sensim melioribus quotidie factis, lapicidae architectique constantem per progressionem inter se

conjunctissimi erant : minime contra, ut opinor, sculptores plastaeque omnigeni. Notum est enim quo more, medio aevo, ecclesiae exstruerentur : architectus, vel electus vel per certamen praeminens, communis summusque redemptor totius aedificationis fit, solus obnoxius, solus notus. Operariis cunctis, artificibus variisque ministris, graphides omnimodas, formas, delineationesque quibus utantur tradit, sedem cuique assignandam indicat, fines plasticæ ornationi adhibendos constituit, et quis effigiei modus, quod etiam genus fabularum vel personarum huic loco conveniat, quod illi. — Ex quo intelligitur quam restricte sculptores architecto servirent, quas infra partes in hac ampla consociatione, structorum, tignariorum, ferrariorum, pictorum, vitrariorum, etc., plastae tenerent. Plura haec consociatio laboris, peculiarisque sculptorum condicio explicat : cur, exempli gratia, medii aevi artificum nomina fere ignoremus [1]. — Quid vero mirum, cum vix quorumdam praecipuorum architectorum cathedralibus nostris nomina inscripta reperiamus? Illi tamen bene noti erant, suam tum laudem consequebantur. Nomina Roberti de Luzarchis, Thomae Renaldique de Coromonte, Ambianis; vel Roberti de Cociaco, Remis; vel Petri de Monsteriolo in Sacra Capella, Parisiis, in opinione aequalium, ut ita dicam, omnes obscuros ejusdem laboris consortes complectebantur, posterique, necessitate ipsa artifices ceteros eodem judicio aestimare coacti sunt. Nec vere injustum est, ut obiter dicam. Ac nihil obstabat quominus operibus suis suum nomen sculptores inscribere curarent, si (ut posterius) mos fuisset, vel si potius, ea aetate, conscientia ea propriae singularisque cujusque in opere edito auctoritatis, ut ita dicam, fuisset, quae recentius omnigenis artificibus impertitur, vereque incerta medio aevo (utcumque dictum fuerit) videtur.

Haud dubium sane est quin illi, qui tamdiu, ex eo quod vix artificum nomina novimus, opera nullius momenti habenda esse, neque eis peculiarem auctoritatem et nunc superesse, colligere voluerunt, ridiculam aeque atque injustam opinionem protulerint. Nonne vero aliquid imprudentis contra esse videatur in quaesita

1. Exceptiones quasdam habemus, sed longe posterius, et pro speciali vere labore. Cf. utputa, ultima XIV[i] seculi parte (1382), Trecencis cathedralis magnifici (nunc abrasi) « jube » exstructionem, cujus computos J. Quicherat reperit et in *Soc. Antiq. de France*, a° 1849, docte commentatus est.

illa interpretatione rei, ex qua Viollet-le-Duc intelligendum esse putat cur ita auctorum nomina in occulto fuerint? Nam docet et miratur quanta fuerit paucitas artificum, et quae contemptio omnis propriae famae, et quemadmodum demissa velut observantia singulorum ad majus operis summae bonum appareat. Videtur enim praeposterum, nostro judicio, recentibusque opinionibus aetatis nostrae, medii aevi homines perpensare. Res autem ita est : postquam architectus quidam ad id pervenerat ut frontem cathedralis exstruere januasque murosque statuis et ornamentis ut solitum decorare deberet, quosdam confestim convenientc numero artifices operariosque diversos comparabat, plusve minusve rationum artiumque peritos gnarosque solitarum acceptarumque fabularum vel personarum; postque eis praecipua mandata dabat, et summam velut instituti operis magistris statuebat, vel ex sua ipsa, vel ex episcopi sententia. — Redemptio aliqua erat, sculpturae, ut ceterae omnes quae ad cathedralis exstructionem ad tempus confectae erant; officina casu saepe ex disparibus ingenio et facultate artificibus collecta, variaque industria, ubi suum cuique munus, nimirum, prius assignatum erat, sedesque pro noto ingenio et favore cujusque electa. Aliis separatae solidaeque statuae assignabantur, aliis symplegmata breviora tympanorum, aliis ornamenta, subtilioraque stereobatarum anaglypta. Ita fit ut omni tempore cum de aedificii cujusdam ornatione agitur, ubi sculpturae opera vel ornamenta ad singularem locum quem illa in universitate operis tenebunt requiruntur; aut potius de communi effectu et conveniente decore qui inde sequetur cura fuerit, aut materiam ipsam, fabulas personasve expressas, praesertim, ad institutionem memoriae vel animi spectantium comparari placitum sit.

Nunc fieri sane potuit, ut in his sculpturae redemptionibus, in officinis operariorum quibus copiosam ornationem ecclesiarum nostrarum debemus, peculiaris rectio et disciplina certa, pro arte ipsa vel saltem ratione, genere, manu fuerint, distinctas dico a summo illo regimine operis quod praescriptam formam statuit. XII° enim seculo, prioreque XIII[i] parte, quasdam frontes constat, ut in Ambianensi cathedrali, exempli gratia, quamdam apertam (etsi sunt etiam varia inaequalis industriae discrimina), generis, et decoris habitus, et typorum, *unitatem* praebere. At tribuendum etiam aliquid videtur traditorum modorum memo-

riae, — cum res generatim ubique congruerent, — asservatisque rationibus, proditis artibus, vel et consilio eidem cujusque opificis quod communis et vulgaris vita in eadem regione animo sponte suppeditat. — Quod ibi vero (ut volunt quidam), auctoritas putanda sit *magistri* alicujus, — quales apud nos dicimus, qualesque etiam, Renovationis Italicae aetate, tot fuerunt, — fecundi et singularis artificis, illustris et laudati auctoris, et pollentis et quasi ad discendam suam artis doctrinam vel sententiam consedentis, circumfusis undique discipulis, quos instruit laboribusque suis sub ipso arbitrio assuefacit, — ea multo magis, ut opinor, dubia res est. In hac quoque quaestione, ut supra dictum est, expressa documenta prorsus carent; scripta saltem : nam ipsa quae etnunc exstant opera, aequa perpensatione, superiores pronuntiationes permittere et (mea sententia) probare, valent. Erit nobis facultas, cum infra, ad aestheticam rationem, operum illorum auctoritatem pensabimus, ex aliis etiam rationibus argumenta eadem colligere.

Accedit etiam quod haec quae in operibus nonnullis unitas laudata est, saepe inanis accuratius perspicienti apparet. Suspicari sane possumus quemdam collegii et sodalitatis sensum artificibus consociis fuisse, aliquam officinae aemulationem, quae suum cuique judicium, collatione ipsa sui operis cum ceteris, ad consimilem rationem informaret, manusque ad disciplinam ab omnibus acceptam fingeret; quisque utcumque connisus est universitasque operis ex convenientia et congruentia partium satis placet. Num ideo signum ullum, si proxime intueamur, institutionem quamdam et praecepta certa a magistri discipulis tradita designet? an rationes potius, et artes ab opifice operariis transmissas probet? Sit ita. — Cum enim quaedam egregia vere opera sint, quot mediocria, inepta, nec judicio, nec calliditate, nec sensu praestantia, reperiuntur! Quas in aliis merito virtutes laudamus, ipsae in aliis et juxta positis,quasi non intellectae,caruerunt, magistrique ipsius opera minime directam circum auctoritatem habuisse, neque ullius ad vicina momenti fuisse videntur. — Illi vero plastae haud dubie, etsi imprudentes, unius aut alterius exsuperantiam intelligebant; dici igitur potest, plerumque (non tamen absolute), illa praestantissima vel accuratius saltem elaborata opera fuisse, quae maxime conspicua, vel statuae, vel ectypa symplegmata, vel minuta anaglypta prolata sunt, mediis

id est januarum pilis, seu tympanis, seu postium stereobatis, affixa.

Ceterum, unam fuisse opificum (in artis ratione) rectionem (si nullo modo certa quaedam magistri apud discipulos auctoritas intelligitur) plerumque haud absurde disputari potest; sic apud Graecos, diversi ad Parthenonem exornandum collecti sunt artifices. Non tamen omnibus temporibus res constat. Remensis jam cathedralis ornationem ut exemplum singulare proposui : cujus frontes permixta genera, rationes, doctrinas, judiciaque, vel contraria vel disparilia oculis praebent. Non ibi vero, ut antea, inscitia scaevitasve causa fuit cur male congruere partes videantur; namque, exeunte jam XIII° seculo, nescio quae peculiaris species ut opinor in artis incremento sensim obrepit. Credas sensum illum quem jam monstravi proprii alicujus ingenii, soluti ac liberi, paulatim prodire, quo magis artifex ultima vincula conventionis et traditae disciplinae excutiat, quibus impetus omnis vel impulsus frenabatur; credas quasi proprium cuique ingenium opificem nunc inducere ut quemdam operi suo peculiarem colorem addat, qui illud inter cetera insigne reddere possit, et, ut ita dicam, segreget. Constat Remis, exempli gratia, hanc statuam primo aspectu eidem auctori imputari posse, cujus manu et illa informata est : inde artificis illius singularem modum, proprium judicium intelligere possumus, cum minime Ambianis vel Carnuto facultas sit. Immo etiam peculiaris ea, quae Remis congregatis et mixtis operibus species aliquanto rarius adhuc apparet, postea separatis et distinctis statuis, quae modo frequentiores sensim fiunt, longe saepius perspici potest.

Non alienum est enim ibi addere, a XIV° jam seculo, architectos ad eam paulatim consuetudinem adductos esse, ut diligentem (ut antea) curam ingenti illi plasticae ornationi ne impendant, quae frontes ecclesiarum omnimodis, ut Remis, imaginibus aeque ac ornamentis quasi obducere solebat, et tradita velut necessitas diu habita erat. Tempus erit cum ornamenta frondium florumque vel crepidines variae personarum vicem postibus vel archivoltis sola supplebunt, cum aperientur exsculpta tympana amplaque eis specularia immitentur. Nec ideo exolescit statuaria, vel vere imminuitur : immutatur potius. Statuae non jam numerosa caterva imaginum continentur; at distinctae eminentioresque locis quibusdam ; in zothecis certis

reservatisque locantur e quibus omnino speciem antiquorum vel nostri temporis signorum faciunt. Cum viventium personarum effigies e lapide ducendae, vel sanctorum, Virginis, et crucifixi signa effingenda, vel (ut jam multo antea) sepulcra et mausolea, pulpita (quae *jube* dicuntur) et cathedrae, stalla et altaria, exornanda sint, — haud dubium est artifices varios illis operibus praefectos, non sub eadem lege jacere quam quos modo diximus, quos architectus ad perficiendum aedificium, ad tempus, pro redemptione quadam sibi ascribebat.

Utrum hae condiciones aptiores fuerint ad attingendas et plenam facturae libertatem, et vividam maturitatem in arte facultatum, prorsus aliena quaestio est. Ita plane, inter tot imagines quae januis ecclesiarum affixae vel exsculptae sunt, illas saepius felicissime exactas esse monstravimus, quae circumscripto loco (ut minuta et quasi forma vel zotheca complexa anaglypta) vel distincta in sede et pila media productae sunt. Eodem modo igitur consentaneum est ea haud absimilia opera, sed separatim praescripta, singillatimque et ex commodo effecta, statuas seu anaglypta, quae vel in interiore ecclesiae parte locata sint (ut apostoli Sacrae Capellae, aut Sancti Geremari [1] altaris tabulam), vel in exteriore (ut jam Remis, et posterius, statuas septentrionali turri frontis Ambianensis cathedralis, fulturae applicatas), majorem libertatem habitus, vividiorem veritatem gestus, accuratius studium probare, quam pleraque ea quae per redemptionem composita et effecta sint.

Quî fit vero, ut novus ille instinctus artificum nullo modo artis inclinationem inhibere valuerit? — Sunt etiam tum pauca eminentiora opera; depravatum vero generatim judicium auctorum videtur. Vitia cum virtutibus novis nova exprompta sunt, quae eas statim infecerunt. Libertatem facturae et, ex vivi exemplaris studio, veritatem effigiei artifices sibi pepererunt, at novos protinus et singulares effectus simul quaesiverunt, et, ne vulgares et velut triti essent, immodici facti sunt. Directa, apud congregatos operarios, paucorum magistrorum, praestantiorum virorum, auctoritas, si perita vere et sana fuisset, magis certe, — aetate illa ingenua ubi *vitiis* nondum plastica ratio infecta erat, sed *inopia* potius, malisque traditis, dubiisque artibus, impedita,

1. Oise.

— magis ad artis incrementum recta via producendum profecisset, quam, — aetate postera, ubi tandem verus sculpturae intellectus patuit, — unius aut alterius auctoris ambitiosi progressus. Illa, quam, ut jam dixi, ubi aspici possit nescio, summa auctoritas veteres renovare rationes artis debuisset, adhibitae experientiae praecepta praestituere, et formae praesertim dignitatis, pulchrique elementorum, studio, incertum adhuc nec limatum judicium artificum informare.

Quo enim modo XIII[i] seculi sculptores imitationis rationes, formam, intellexerint, jam observandum est. Hoc apertissimum vitium medii aevi artis, vel potius inopia vel impotentia, in ista, ut opinor, inscitia, incuria verae aemulationis naturae, quae in operibus facilius perspici possunt, continetur. Cum autem naturam dico, *nudum* intelligo. Non satis est enim vestes quasdam apte expressas esse, venuste compositas, elegantia et mollitia ornatas, ex quo aperte eas ad statuta exemplaria effectas, necnon ex commodo, non sine decore et judicio, ordinatas esse videatur. Non satis est manus apte ad veritatem conformatas esse, vultusque, pluribus exemplis, veram vivorum typorum ejusdem regionis observationem probare, — cum etiam ea quidem exactae imitationis cura non jam in optima artis aetate appareat. — Corpus vero quod vestibus eis non semper proprie positis subest, cui manus et capita ea inepte aliquoties affixa sunt, parum observatum est; artifex non in nudarum partium studio exercitatus est, nec se formis earum expertum opere prodit : inde statuae extremis lineis infelices apparent, et vel nullo vel pravo effectu fere undique eminentes. Speciem illam tantum praebent quam sibi apud primam (si fuerit) adumbrationem, neque indignam, charta auctor ex graphide informaverit : cujus exemplum insigne comperire facile possumus per collationem cujusque planae sepulcri effigiei, cujus lineamenta penitus scalpturata, parce sed ample et decore saepius disposita sunt, cum eminentibus eis sepulcri statuis, quae *jacentes* dicuntur, quarum effigies, instar ceterarum imaginum frontis ecclesiae, recte stantes expressae sunt.

Usum igitur nudae formae, et necessitatis ejus intellectum, maximo aliquo saltem XIII[i] seculi spatio, infitiandum esse censeo. Argumento saepius objicitur notissimum *Album* architecti cujusdam XIII[i] seculi, Villarti de Honnecourt, pretiosissimum

velut scrinium omnigenae copiae formarum vel graphidum miscellis obscurisque praeceptis illustratae, cujus auctoritas non temere ubique accipienda est, maximi tamen, ad intelligendas quasdam rationes artis medii aevi, momenti videtur. Quo autem scrinio, inter plures vestitarum personarum adumbrationes, paucas vero seminudarum, studium formae effectas, duae praesertim reperiuntur hominum imagines, unius sedentis, stantis alterius, qui vere, omni seposita veste, certo et composito habitu gestuque, ante oculos spectantis artificis statuti sunt : ex quo suspicari licet vivi ibi exemplaris studium fuisse. Quo modo tamen non suspectus ipse rei usus habeatur, cum hoc fortuitum sane ambitiosi cujusdam curiosique artificis experimentum ita mediocre et inscitum sit? cum non inepti modo et indecori gestus videantur, sed mendosa, insolens et inanis imitatio [1]? — Nudum medio aevo turpe habitum esse constat, anatomiamque ut odiosam repudiatam ; osteologia contra non adeo aliena erat, aetate qua tam multa ossaria et, ut dicebantur, carnaria ad sceleti studium animos, jam mortis imagini valde assuetos, quodam modo adducebant. Rudimenta igitur atque adumbrationes Villarti de Honnecourt non ut *nudi* studium praestant, at potius ut osteologiae, quasi cadaveris incerta praecepsque inspectio. Non recta certe via haec ad *naturam* discendam duci potest.

Naturam igitur, ut dixi, nudum, vere neglexisse artifices videntur; sibi nulli usui fore putaverunt, si modo, non dico necessitatem, sed commodum illius studii intellexerint. Ita nihil in eorum, ut rem vere dicam, institutionis artis principiis, in rationibus, in traditis ad exsequendum artibus modisque, nil nudi exemplaris observationem probat, vel saepe etiam cujuscunque exemplaris usurpationem indicat. Ex modo quo diutius ornandas esse januas ecclesiarum (de quibus tantum quaestio est) conceperunt, non potest non concedi, ab artificibus saepe liberum decus, puram convenientiam formarum supervacua, immo incommoda vel damnosa haberi, difficultatibusque quas ipsi in ornatu instituerint, subjici. Una ex eis, quorum serius quod immodicum esset repudiatum fuit, in hoc praesertim posita

1. P. Mérimée (*Moniteur universel*, 1858, 20 décembre) juste explicat nudas personas Villarti generatim non rectam vivae naturae observationem sed vere antiquorum modo anaglyptorum fortuitam imitationem, probare.

est, ut corpora statuarum non extra quasdam rectas lineas, quasi quadratam formam planis dimensionibus inclusam, expressa sint. Quam rationem jam extrema parte XII[i] seculi notavimus; nec multum prima parte XIII[i] mutatam invenimus, etsi magnae statuae non jam affixae sane pilis sunt, sed applicatae, aliquo etiam, nonnunquam, intervallo posito. Nihilo minus verae quasi *tabulae* spectantur. Satis erat adversam modo effigiem effectum suum habuisse.

Haud falsum certe est principium illud secundum quod monumento exsculptae personae ex forma zothecae vel zonae qua septae sunt nullo modo eminere debeant. Sic, apud veteres, zophoris fastigiisve, utputa, mos fuerat. At non injuria et detrimento veritatis libertatisque habitus exprimi figurae debent; non enim omnes partes simul ac locus et sedes etiam, bene aptentur, necesse. Postes vero januarum quibus non zothecis vel recessibus etiam, sed columnis applicatae sunt imagines, fere apertius rigidiores eas et male dispositas esse declarant. Plures quidem aedificii ornationi hujus generis conveniunt. Idonea tympani forma, archivolta finiti, liberiores saepius personas praebere valuit. Scholas, cum tempore, rationem eam commode respuisse, ut Remis vel Ambianis etiam, constat. Tradita vero lex diutius integra a quibusdam observata est : haud enim rarum est aliqua in optima artis aetate anaglypta eminentioribus partibus paululum complanata esse, quasi, ex forma, molle exemplar correctum fuisset. Ita habetur Remis delicatissima zona (dicta Panariorum) quae media in pila transsepti septentrionalis januae exsculpta est, de qua modo plura dicemus. [Trocad. mus., n° 185.] Sigilliolis tamen minus manifesta injuria apparet; at cum procerae forte statuae, ratione eadem, orbicae fronti rotundae pilae applicatae sint, plane absurdum odiosumque vitium videtur. — Insigne ut exemplum, pilam quamdam Argentoratensis cathedralis intra transseptum late fundatam, proponere licet [n° 350]. Quae cum quattuor evangelistarum effigie exornata est, personae, non adversa fronte stantes, sed quasi transversi procedentes, spectantur, vereque obrepunt juxta parietem, ridiculoque velut conatu oblique laborant, ne extra nescio quam invisam orbicam formam emineant. Capita igitur cum decora sint et veram dignitatem oris praebeant, gestus contra et habitus invisa insolentia et quaesita ordinatione partium inficiuntur, vestesque,

in tenuiores substrictioresque defixos, et quasi glutinatos, et minime verisimiles, sinus producuntur.

Aliam difficultatem sibi sculptores praescripserant, primis saltem temporibus, formam illam quam jam diximus, quae statuas, velut in quadrata quadam vagina, plana rectaque includebat. Primae effigies XIII[i] seculi rigidae adhuc et frigidae, sine libertate aut vi propria, videntur. Severitatem istam primorum typorum paulatim repudiare artifices valuerunt, at fere nunquam tamen omnino. Paucos, haud dubie, habitus, gestus, effectus receperant, quos hinc jam paululum mutabant, quia eo facilior sic, velociorque opera manus in exsequendo ducebat, quorumque ars et ratio certiores etiam et expeditiores operariis instituebantur ex praescriptis traditisque modis. Illa quoque nobis Villartus de Honnecourt arcana prodit, quae ceterum suspicari ex operibus ipsis quodam modo possemus. — Non, vere, causa est cur hic curatius de peculiaribus documentis illius jam laudati scrinii disseramus; quod jam a perspicaci viro J. Quicherat subtiliter dispectum est [1]; liceat tantum ex ejus labore pauca excerpere, quae clare apteque causae de qua dicimus convenire videntur. — Haec ratio, quam praedictus XIII[i] seculi architectus e graphidibus libelli sui pro delineatione figurae, adhibito geometriae auxilio, probat, arbitraria sane, vel incertae libidini obnoxia, in exsequendo, erat. Artes enim ibi designatae in eo constant : status et gestus corporis ad lineas tantum revocantur, planeque dimensiones corporis ad prima schemata rediguntur, illudque sine apta ratione aut exactae subtilitatis modo, at sola conjectura, temeraria fortasse et certe semper controversiosa. Non *artem* graphidis rationes istae docent, at, ut maxime, expeditam copiam, opportunam disciplinam, ad varios (si opus sit) habitus gestusque inveniendos, per promptam quorumdam compositorum schematon memoriam : curam artifici remittunt observandae naturae, *facilioremque*, ut ipse dicit Villartus, *laborem efficiunt*.

Tritus igitur et velut irrationalis usus est, quem aeque ipsae ceterae in scrinio praedicto graphides expressae probant, cum ex praevisis consuetisque aetate ipsa argumentis electae sint,

1. *Revue archéologique*, t. VI, 1849; rééd. dans ses *Mélanges d'archéologie et d'histoire*, t. II, 1886.

testesque veri doctrinae exsistunt. Vestes enim aliquoties apte compositae sunt, etsi saepe sine judicio aut discrimine multiplices videntur; paucae etiam venustum habitum et concinnam speciem praebent, etsi pleraeque magnae personae laevae sunt et impeditae; nudas vero partes utcumque rigidas, aridas, asperas, irritas dicas : quae et oppositio nunquamnon, ut jam diximus, aetate illa conspicitur. — « Quod in expressu formarum corporis offendere debeat, hoc, — infert J. Quicherat, — apud Villartum de Honnecourt aliquid constans erat et, ut ita dicam, fatale; vitium ne istud potius toti seculo commune fuerit quam ipsi viro proprium? » — libenter equidem crediderim. Usus enim ille compendiariarum artium, geometriaeque schematon, in statuaria, etsi non unice vitii omnis rationem debeat, vere in causa quodammodo esse potest cur ita vulgares habitus, impediti gestus, incuriosa factura, inaequales generatim successus, saepius in exsculptis aedificiorum nostrorum imaginibus appareant. Sic monachi Graecorum monasteriorum expeditis velocioribusque variis rationibus usi sunt, ut data eadem semper argumenta, typos eosdem, ex commodo et rite, ad traditum modum, sine facultate et industria, vel ea ipsa, vel nova, expromendi, exhibuerint.

Et quia de rationibus artibusque peculiaribus dicimus, quae in usu medio aevo erant, unam etiam proponam, quam operarii quidam, certissimam fore (quod sane haud inutile paucis immanibus monumentis esse posset), putabant, aliquoties vero sine ullo judicio experiebantur : quamdam dico ex industria compositam membrorum congruentiam. Ob eam causam quod, ut suspicerentur ex inferiore loco, locatae sunt, statuas quasdam, sedentes personas, videmus, quarum capita ampliora, thorax productior, brachia et crura breviora effecta sunt, quibus tandem nil corporis aptum justumque videtur; — quaeque ad tria modo vel quattuor metra editae sunt : ut sex senes limine sinistrae januae (dictae Virginis) Parisiensis cathedralis exsculpti, quorum aspectus vere injucundus spectanti est [n° 153]; — vel ad duo etiam metra ab imo positae sunt : ut statuae quae postibus januae septentrionalis transsepti Remensis cathedralis applicatae sunt, quod plane absurdum videtur. — In summa principium istud falsum est : quamvis enim ad haud mediocrem altitudinem statuae positae sint, nec recedere etiam spectanti liceat, ut fit

Remis pro pulcherrimis quibusdam veteris domus dictae Musicorum imaginibus, — minime gratum aspectum esse arbitror, apertiusque quaesitas artes comperi. Quod si igitur animadverti, odiosaque haberi, incongruentia ista partium corporis potest, prope inanis est. Pro nihilo ducebant Graeci ineptas adeo artes, quae hodie a quibusdam ut felicissima inventa medii aevi laudantur. Sciebant veteres artifices veritatem ante omnia servare figurasque aptissime venustissimeque pro earum habitu et collustrante lumine componere.

Merito contra probandum est, apud quasdam medii aevi statuas, vetustissimum illud institutum : *jacturae* (pro loco) singulorum, ad expromendas vividius acriusque lineas aliquas valentiores, ita ut species summa aspectusque quaesitus procul efficeretur. Recta ibi machinatio est, si dicere licet, et perita ratio, cujus incuria vitio verti saepe posset. Certum est enim in « Regum porticibus », ut dicitur, in ordinibus illis procerarum statuarum Judae regum, quas mos erat in unum ex superioribus tabulatis frontis ingentium cathedralium instituere; in eis utputa quae in Ambianensi cathedrali spectantur, constat simulacra, cum etiam ex adversa tantum fronte exsculpta sint, durissima manu, asperrimo caelo, et infabre magis quam credi possit, formata, si prope inspexeris, apparere; eademque, si ab imo, pro magnis quibusdam acrius expressis lineis, non ineptam speciem praestare. Opus, haud dubie, non adeo infabre effici poterat, ratio autem ipsa probabilis est. Quam legem, ne altius respiciamus, ingentium quoque frontis januarum peritia eadem et cura in proceris statuis (quae pilae mediae vel postibus affixae sunt) observatam esse constat. Inde fit ut illis ipsis imaginibus sua et vis et auctoritas non mediocriter imminueretur, si sede sua amoverentur inferiusque subjicerentur oculis, extra omnem illum apparatum qui eas aptissima quasi forma commendat : quod et facile apud effigies e gypso ductas comperitur, cum undique collectae in museum separatim propiusque spectantur. Ratione eadem anaglypta infera, fere solida fiunt, cum supra intuitum effecta sunt; rariusque his aut illis ars ista quasitae disparilitatis membrorum, quam jam improbavimus, adhibita est. Ingenuam contra apud ea intelligentiam mensurae aequitatisque partium mirari possumus, facilioremque libertatem, et sollertem instructionem personarum quarum aspectus decorem optimum

praebet. Medii aevi enim artifices quam maxime in decoris et ornatus arte versati erant. Haud neganda ea industria videtur. Aequum est vero tantummodo dici eos non semper moderationem vel discretionem concinentiamque eas servavisse quae ultima *romana*, primaque *gothica* aedificia commendant. Nec dubium quin Graeci (quos quidam putant in eo genere inferiores etiam artificibus medii aevi fuisse!) merito respuissent, ut depravati judicii opus, hunc modum ex quo frons ecclesiae, ut Remis, omnimodis quasi referta signis spectatur, vel illum ex quo, ut Ambianis, copioso accuratoque apparatui exterioris frontis interior paries omnino nudus respondet.

Tandem modus etiam alius haud praetereundus videtur, quia saepius a sculptoribus xiii[i] seculi adhibebatur ut exornarentur quodam modo opera, colores dico, vel quam nos polychromiam dicimus : de qua paululum modo compertum est, neque nobis grata vel fida, ex variis aetatis nostrae restitutionibus, opinio producta est. Viollet-le-Duc existimat totas januas Parisiensis, Carnotensis, Remensis, Ambianensis cathedralium, coloribus infectas esse. Nobis Sacrae Capellae apostolos, ingentemque ectypam zonam imaginum quae Parisiensis ecclesiae choro in latere applicata est, accurate peritissimeque in (quam censet) pristinam dignitatem aptumque colorem restituit. Nonnulla etiam vestigia veterum colorum in paucis separatis operibus perstiterunt, ut illa altaris tabula quae olim in Sancti Geremari capella asservata erat [1]... Quid vero postea? difficillima sane ea disceptatio est, si colorata quodammodo esse statuariae opera probari possit, praecipue talis artis vestigia apud Graecos ipsos aliquatenus probata sint, quorum de exquisitissimo judicio nihil est quod ambigatur. At si tantum de duriore illa specie in coloribus, quam nobis medii aevi opera praebent, judicium faciendum est, aesthetica vere auctoritas modi hujus nescio quanti valeat? Nam haud multum abest, ut opinor, quin usque ad fatuas istas odiosasque temporis nostri ecclesiarum coloratas imagines imminuantur, ingenuae validaeque xiii[i] seculi lapideae statuae, si coloribus inficiantur. Exempla e gypso ducta apostolorum Sacrae Capellae (ut proceras solutas statuas dicam), vel tabulae Sancti Geremari (ut ectypa sigilla), longe, mea sententia, feliciorem con-

1. Nunc Parisiis, in Cluniacensi dicto museo servata.

venientioremque decorem praestant quam ipsa exemplaria : quia lineae non velut oppressae pigmentis videntur, umbrae validius a collustratis partibus divisae sunt, et forma, eo integrior obstans, majorem quoque effectum ducit. Interdum quidem colores felicius ad tegenda inferioris operis vitia haud mediocriter valent : quod et quasi falsus habitus videtur, qui ineptae tantummodo et inexercitatae aetati convenit. Aesthetica autem sub ratione fortiter crediderim, in plasticis artibus, formam multo honestiorem esse quam colorem : quippe qui *sensus* tantum moveat, vulgariore quadam ex veritate, quia corporeus sit ; illa praesertim *mentem* afficit. Licet moderatam in lapidea vel lignea sculptura unius et alterius societatem quaerere, sub ea condicione ne materia prematur. Pelluciditas vero, et pura venustas integri marmoris, ipsius colore semper vividiores exstant.

III

Reliquum est nunc ut summatim memorem quae principalia argumenta personasque potissime XIII[i] seculi sculptores exprimere curaverint, quasi prooemium habebitur praepositum descriptioni ipsorum praestantissimorum operum, quam in proximum caput reservavi. Occasio etiam erit prospiciendi quo modo sculptores eosdem generatim typos, argumenta eadem, variis in regionibus exprimere solerent, separatasque statuas vel ectypa symplegmata, quemque habitum, quam vestem personis attribuerent. Novitas enim in argumentorum electione saepe maximi momenti habetur, pro principio impetus illius statuariae qui ineunte XIII° seculo patentius proditus est. Non, vero, quod ea consideratio nimii aestimetur, nedum dubia inanisque ratio ista longius producatur, ex qua, laïco quodam et « democratico » instinctu, — episcopo adjuvante — pro adstrictis superstitione argumentis fabulisve, ethica philosophicaque praecepta per vulgarem imaginem confestim subjecta essent. Reipsa XIII° etiam in seculo pleraque, jam diu saepissime in XII[i] seculi ecclesiis expressa, argumenta eadem inveniuntur. Id autem ut maxime verum est, — quod et Viollet-le-Duc clare recteque explicat, — aetate nova minorum inac-

qualitatem vel libidinem in argumentorum delectu apparere, fabulas legendasque obscuriores vel insolentiores in arte monastica vulgo omissas videri, populoque, certa ex ratione, proponenda existimari gravissima amplissimaque facta religionis, aeque ac effigies quasdam figurasque insignes, pernotas facillimasque intellectu, quae animos simul virtute instruere et edocere valeant. Inde veram aliquoties in solidis demissisve anaglyptis diffusam « encycliopaediam », ut dicitur, invenimus, quam in januis et porticibus ecclesiarum, velut ad religiose recreandos inter officia divina fidelium oculos, explicare curaverunt plastae : scimus et paradisum ecclesiae vulgo quasi atrium commune vel forum quoddam a populo pro deliberatione vel negotiis medio aevo habitum esse. Haec igitur praecipua argumenta expressa in postibus vel tympano vel archivoltis portarum spectantur : summa in primis Scripturae narrata et documenta; plasmatio, Trinitas, prophetiae, ultimum judicium, parabolae, acta Christi et Beatæ Virginis; simul, ut jam anteriore seculo, figurae omnigenae, virtutes et vitia, scientiae et artes, menses et tempora anni; atque, ex occasione, peculiares casus vitae unius aut alterius sancti, ecclesiae patroni; distinctae personae tandem, angeli, patriarchae, evangelistae, apostoli, sibyllae, reges Judae, plurimaque et omnigena simulacra partibus ut licet cunctis prodige et libere quasi inserta.

At non plura dicam de illa iconographica tantum parte statuariae XIII[i] seculi, cujus accurata indagatio in infinitum ire possit, sed prorsus extra propositum, cum opera illa ex artis, tantum, aestheticaeque auctoritatis ratione, inspicere instituerim.

Duos tamen typos ex ceteris excerpere decet et deorsum paullo distinctius observare, quia singularis eis dignitas, insignis auctoritas est, in operibus quae mox exploranda erunt, quia et studiosior elatiorque cura in eorum expressu adhibita est, propptereaque superiorem locum saepe tenent : Christi dico et Virginis.

XII[o] seculo Christus plerumque ut triumphator fingebatur, inter quattuor evangelistarum figuras, cum apostolis vel XXIV Apocalypsis senibus. XIII[o] vero seculo, duobus modis admodum disparibus effigies ejus exprimitur : primum Christus « gloriosus », ut dicitur, figuratur, semper sedens, seu judex ultimo judicio praesideat, — tunc, vulgo, pectore brachiisque nudis

repraesentatur, circumstantibus angelis ejus nutum intuentibus; talis in tympano mediae portae cathedralium nostrarum cernitur, — seu coelestem coronam Virgini matri, a dextera sedenti, imponat, — tunc plerumque vestitus et ipse coronatus videtur. Post, Christus « homo » fingitur, docens populum et benedicens. Vestitus est semper, at rectus stat, nulla corona cinctus, pedibusque draconem proculcat. Hic modus XIII° seculo proprius est. Mediae pilae frontis ecclesiae vulgo applicata statua spectatur. — At dicere tamen simul oportet, leges illas praesertim iconographicas, ut ita dicam, acceptas esse, id est pro figurae insignibus; nec sculptores attentiorem saepe curam impendisse videri ut personae plane consentientem cum repraesentato typo expressum effingerent. Non enim insolitum est *gloriosi* Christi effigiem, judicis praecipue, ut Parisiensi vel Bituricensi cathedrali, duriore, vulgariore, humaniore sensu infectam esse, quam vicinam Christi *hominis* figuram. — Haec, saepe diligentius elaborata, quia in fronte velut summum locum occupat, per duo momenta vel mutationes transiit. Priore enim parte XIII[i] seculi plastae vulgo dant operam ut, per pulchritudinem conformationemque lineamentorum, in eadem persona conjunctionem divini principii cum humano exprimant, dignitatis humanae cum divina majestate. Christus medius Ambianensis cathedralis, in quo longe felicissime res successit, clemens ut pater, idem et augustus ut dominus, videtur. Jam posteriore contra parte seculi, humanum elementum nunquamnon praeminet. Dignitas oris, subridens benignitas fit, ne simplicitatem dicam, ut in ea grata et vivida adeo Christi effigie quae septentrionali transsepto Remensis cathedralis mediae pilae applicata spectatur; mox et XIV° seculo praecipue ad maciem, affectationem subtilioremque habitus cultum accedit.

Typus Beatae Virginis quasdam etiam peculiares certasque formas habet, etsi minus distincte expressas quam Christi. XII° jam seculo effigiem ejus semper ut « gloriosam » effictam esse vidimus, adversa fronte sedentem, infantem Jesum gremio gestantem, adversum ipsum etiam et benedicentem. XIII[i] seculi plastae typum illum quasi consecratum et quodammodo canonicum servaverunt; Virginem quidem rectam posuerunt, infantemque bracchio sinistro sublatum, at idem amborum hieraticus et quasi triumphalis habitus permansit, si quidem corona frons plerum-

que redimita est, et draconem conculcare solet Virgo; saepius vero frigida et rigidiore significatione vultus totum inficitur opus. Pro his statuis, sicut et vicinis illis Christi signis (quibuscum hae plane congruunt), cum mediae pilae januarum etiam applicatae sint, sculptores quamdam dignitatem, majestatem supra humanam quaesierunt. Difficilius vero opus sane erat, nec jam ille divinus ignis inest, quo nonnullas Christi effigies illustraverant plastae. Sufficit Virginem sinistrae januae frontis Ambianensis ecclesiae cum vicino mediae portae Christo conferri. — Melius contra profecerunt plastae cum divinam speciem pro humana omiserunt. Medio enim jam XIII° seculo maternam pietatem potius in Beata Virgine intueri videntur : quippe quae infanti studeat, flexo collo ad eum respiciat, nedum arrecta insistat fronte, cum eo ludat, eique subrideat adverso. Inde fit ut statuae venustatem et leporem et mollitiam pro amissa majestate adipiscantur : sic Virgo septentrionalis transsepti Parisiensis cathedralis. Molestum est autem quod ipsa mollitia, elegantia ipsa quas in illo concinno habitu matris infantem bracchio insidentem tenentis exprimere conati sunt artifices, fere extemplo in affectatam intentionem vultus, ambitiosam vestem, nimiamque pectoris in coxas inflexionem : sic Virgo dicta aurata, meridionalis transsepti Ambianensis cathedralis, et pleraque vel lapidea vel eburnea signa aut sigilla, quae, insequenti aetate, peritiam tamen et elegantiam vere praestabiles probant.

Prope typum illum quasi consecratum, ut dixi, Virginis Matris, nonnulla etiam sculpta reperiuntur ubi Virgo suum sola, id est omisso Jesu, locum tenet, nec minorem saepius vitam decoremque effigie praebet. Diversi scilicet casus vitae ejus propriae efficti sunt, e quibus praesertim annunciationem et visitationem, pro magnis postium statuis (ut Carnuto, Remis, Ambianis), referam, necnon et, pro ectypis argumentis, mortem et sepulturam (ut Parisiis, Ambianis, Silvanectis), assumptionem (ut Parisiis in abside), glorificationem, ubi coronam Virgo a Christo accipit, ultimumque Judicium, ubi etiam Christi latere genibus flectitur (ut passim in tympano mediarum portarum frontis cathedralium spectatur); diversasque tandem fabulas, legendas, miracula, quibus illa interposita est. Quibus omnibus in argumentis, Virgo ut jam adulta mulier repraesentatur, plena et valente facie, lepore et dignitate praestans, nullo hie-

ratico vel affectato quaesitu, infirma saepe arte, at dulci honestaque simplicitatis specie, quae vere cum separatis accuratiusque elaboratis Virginis matris simulacris, nec male, pugnat.

Nihil de infantis Jesus effigie ipsa dixi, quae semper sinistro bracchio Virginis sublata apparet. Iconographica ratio eadem huic et illi fuit, et Pueri habitus simili modo ac Virginis pro tempore immutatus videtur; at facturae contra ingenium et virtus uni et alteri plane absimilia sunt : medii aevi enim sculptores nullo haud dubie modo assueverant pueros effingere, eosque sibi unquam ut exemplaria sumere : inde rara est puerilis quaevis effigies, in operibus medii aevi; cumque necesse esset Jesus pueri saltem simulacrum effici, mirum vere est nullam Virginis matris imaginem inveniri, quamlibet perfecta sit et felicius accuratiusque composita, vel lapidea vel eburnea, ubi puer non plus minus impar sit, et ineptus. Plerisque enim nec libertas, aut mollitia linearum, nec simplicitas veritasque imitationis adsunt.

Eae quae, ex ratione qua sculptores diversis aetatibus Christi Virginisque typos effinxerunt, formae cernuntur, vix aeque plerumque, ut apte videtur, notari pro arte saltem et factura apud hominum feminarumque generatim figuras possunt. Rudibus at vividis imaginibus, peculiaribus propriisque typis, cujus ethnographica saltem, si dicere licet, utilitas erat in diversis XII[i] seculi scholis, succedunt primum, ut et initio hujus capitis dixi, placidi et frigidi typi quidam, qui velut « extra humani » dici possint, nec tamen absolutam speciem consequuntur, necnon, etsi grati saepe, semper compositi videntur. Venit post, aetas nova ubi veritas praesertim imitationis quaeritur, et sinceriores quidem vividioresque imagines apparent, at elegantes etiam et quae magis, humano quasi instinctu, oculos delectant, et in summum tunc ars perducitur; post, sensim, affectatio, et quaesita mollitia status omnia invadit, ex ipsis intemperatis virtutibus, novitatisque cupidine.

Haec de magna praecipue statuaria, vel et solidis ectypis figuris notanda sunt; de illis saltem operibus ubi apertissime vitia et infirmitas rationis et doctrinae patent. Non tamen quod minoris ea momenti sint in minutioribus operibus, vel sigillis vel anaglyptis; quae enim quod, primum, maturiora sunt, perfectiora, praestantiora mollitia habitus et veritate imitationis,

quam procera ejusdem aetatis simulacra, causa quaerenda est in ipsa eorum humilitate, in demensionibus aptioribus intellectu, expeditioribus expressu (pro parum adhuc eruditis mentibus), in faciliore disciplina anaglyphae artis..., quae commoda omnia saepius ad tegendum, indeque omittendum, vere conspirant, quantum impares auctores sint in maxime necessariis principiis plasticae artis in corporis humani studio. Quo fit ut plerumque haud dubie ponere liceat tale hoc sigillum, cujus venustatem et leporem, cum ad 25 vel 30 centimetra altum sit, vel etiam unum metrum, miramur, vere inferius fore et ineptum, si in 2^m vel 2^m 50 sublevatum esset. Quot laevae et planae apparent (ut praesertim in Carnotensis cathedralis transsepto), ingentes statuae quarum basis ipsa, eadem aetate exsculpta anaglypta parvaque sigilla, vita mollitiaque decora, praebet! Adde etiam, ut haud mediocrem quoque causam excellentiae hujus proponam, quod in illis minutioribus argumentis, plastae, minus loco ipso et indicto simulacro coacti, latiorem campum dare poterant ingenio illi singulari, fecundo illi impetui quae eis minime deficiebant quorumque tot praestabilia vere documenta nobis prodiderunt.

Ceterum praecipua virtus illius statuariae (necnon et majoris) in veste est. Sic eam, ab artificibus temporis nostri, opinionem accepi, quae movet primum ut παράδοξον quoddam, veraque tamen et aptior attento animo videtur : sigilla vel anaglypta quaedam, accuratissime elaborata, quibus vero, ut fit saepe, capita desunt, venustiora etiam esse, aut potius majorem faventioremque operis opinionem (vel ita detruncata) facere, quam si integra adhuc essent. Est enim saepe tanta discrepantia facturae inter vultum et vestem figurarum, ut vere dici queat hac illum carere posse : cujus causa aperta videtur, quod haec iconica ex libero veroque exemplari expressa est, ille contra facticium et quasi compositum opus apparet.

Eaedem fere mutationes in vestibus sensim aspiciuntur, quae in typis ipsis personarum. XII° seculo, typi e viva natura ducti, vere iconicae effigies, vestibus aeque ad veritatis similitudinem, ad temporis ipsius exemplum instructis, saepe exornati sunt; nec mediocris nobis nunc, historica ex ratione, pretii esse constat. Ars vero eis ingenua nulla est, cum byzantini adhuc mores semper rigide et frigide servati sint. Impetu contra novo XIII[i] se-

culi justam vestiendi viam init, elatioremque formam quaerit, quae non temporis certi est, vera tamen atque ad exemplar effecta videtur. At, quam primum, absoluta vere rudimentis novis plastarum imperitia apparet; judicium nullum in ordinatione vestium inest, vel instructione sinuum, qui, sine delectu, inepte ad pedes defluunt. Pleraeque ineuntis seculi statuae, Carnotensis praesertim cathedralis in transsepto, mala ex ratione vestitae sunt. — Dici vero potest hac in parte, studium et industriam plastarum nunquam languisse. Inde brevi tempore ad vere praestabiles exitus accesserunt : aequam justamque concinentiam partium, gratam mollitiam, decoram in summa compositionem; breviore vero, pariter, tempore, ex inopia superioris cujusdam judicii et sani intellectus artis principiorum, quo subsidere jubeantur, artifices ultra destinata procurrunt, et disciplina sua hinc jam fidentes, superata impedimenta velut ostentant, et, gaudentes, quoquomodo, proponere videntur qua copia et facilitate longitudinem, primum, lautumque apparatum, postea gracilitatem et elegantiam vestium, effingere valeant. Non jam vulgaris quidem vestis dudum videtur, at eodem fere tempore quo novi et peculiares et proprii artifices fiunt, affectatio et ambitiosa jactantia in imprudentia eorum opera quasi irrepunt. Ultima tandem quasi conversione, vestis ad imitationem accuratam vestitus temporis ipsius redit, quia, ut jam dixi, ad iconicas effigies personarum nova cura adhiberi ea aetate xiv[i] seculi videtur, — cum jam diu sepulcrorum effigies xiii[o] seculo vestem defuncti ad veritatis similitudinem proponere assuevissent. Non mediocris neque infelix haec conversio disciplinae videtur, quod ea imitatio integra vivorum exemplarium (ut in xii[o] seculo) nunc et perfectiorem artem et acrius judicium praestat. Inde fit ut fere dici possit, in illis operibus xiv[i] seculi, ad summum vestes perductas esse, quoad facturam saltem, et expressum : at minus quoque elatum videtur ingenium auctoris, qui non jam exemplar suum quasi superare conatur, sed tantum ex stato personae vestitu quam peritissimam potest utilitatem capit.

Liceat nunc, antequam finem faciam huic longiore capiti, de ultima quadam re paucis agere. Quam jam modo dixi discrepantiam inter vultus, vel ipsas personas, et vestes quibus illae indutae sunt, optima etiam artis statuariae tempestate, illa mentes nonnunquam movit; suntque qui dubitaverint xiii[i] ne

seculi plastae instinctum quemdam ab antiquis fortasse exemplaribus accepisse potuerint, necne? Temere credas quaestionem tam dubiam facile expeditum iri, ex paucis eis documentis quae annumerari possint. Sic improba et nimia opinio foret, si quis directum studium antiquarum artium probari putaret, ex affinitatibus quas gestus et flexus habitus aliquarum statuarum, et compositio praesertim quarumdam vestium praeferunt cum Graecis vel Romanis operibus. Nam certe respondere licet satis fuisse, ut ad exitum eumdem pervenirent plastae nostri, vel vivum exemplar, vel simulacrum, quibus pauci sane usi sunt; adde quod affinitates illae potius in summa adumbratione operis, in specie unius aut alterius personae sunt, quam in effectu manusque ratione. Sic in jam laudato scrinio architecti Villarti de Honnecourt, testimonia aliqua inveniuntur cujusdam antiqui instinctus, pro vestibus; at addere velut ex necessitate decet : graphides eas procul ab exemplari abesse, et qui effingere se putet, quasi inscium illum cum temporis sui moribus effingere, speciemque unam quicquam veteris praestare.

Nec plura. Exemplum vero certissimum habemus imitationis cujusdam insignis ex antiquo exemplari, et peritissimae aetate ipsa exsculptae ubi artifices maxime disciplinae artis rationibus eruditi erant, delicatissimumque judicium operibus probabant. De quo facilius conclusio erit. Est Remis, in dexteris mediae januae postibus bene nota *Visitatio*, sunt duae statuae Virginis et S^ae^ Annae, ad supra tria metra altae, stereobatae applicatae, quarum haud dubie origo est a paucarum majorum antiquarum imaginum inventione, quae abhinc rursus evanuerunt. Quae igitur si amplitudo vestium, si elatio facturae, simul ac classica illa dignitas oris et artuum, qui ita pleni, validi, pulchri et veri simul, videntur, quantum libet ex ratione aucta lineamenta pro longiore aspectu sint, — si ea tandem optima concinentia partium, cum illis operibus conferentur, quae ut summa merito artis XIII^i^ seculi documenta aestimamus, nihil vere aequabile in factura et disciplina uni et alteri operi invenietur. — Quantum, ut aptioribus exemplis utar, vicinae pleraeque statuae quae Remis in fronte eadem adstant, etsi probas virtutes praebent, exiles contra et quasi facticiae videntur! Ne ulla fere imitatio, unde pateat auctorem ejus operis sociis suis ex ea utilitatem quamdam praebuisse, vel ipsum fructum ullum cepisse ex

novo illo velut elemento, quod, inscius fortasse, in plasticam artem inducere valuerat; mutationemve quamquam in disciplina vulgari laboris vel in more ipso temporis hujus effectam esse. — Seorsum tamen numerari possent plures imagines, ex ingenti ornatione, zothecis extructa (de qua modo plura dicemus), quae interiori parieti frontis ipsius, intra ecclesiam, affixa apparet, ubi mediocri statura personae sunt, quarum aequa crassitudo corporis et plenitudo artuum, non in aetatis ejus (ultimae tamen XIII[i] seculi) simulacris cerni solet, cum tot quasi ex aesthetica quadam doctrina maciem prae se ferunt.

Inde conclusio nostra erit, si sculptores XIII[i] seculi antiquam doctrinam (quo quidem modo nos hodie fugit), cognoscere potuerint, non tamen idoneum eis visum esse directo ab ea instinctu duci, seu non eam intellexissent nec curassent, seu rem difficiliorem censuissent, et discessissent a studio cui impares se fore arbitrarentur.

CAPUT TERTIUM

DE QUIBUSDAM XIII[i] SECULI STATUARIAE MONUMENTIS

Sequitur nunc ut aliquot persequamur de praestantissimis vel propria arte praecipue egregiis operibus plasticae illius XIII° seculo doctrinae capita quam modo explicare conati sumus. Haud parvae quidem difficultatis est subtilem adeo materiam vivide tractare, quia ipsa medii aevi sculpturae natura plerumque desiderat ut exemplaria loco sibi proprio spectentur, immo etiam in certo lumine. Quae enim mendoso si in lumine collocata, si detracta, separata a circumdatis (quibus velut apparatu adornantur) inspexeris, — quantumvis perfectae et sincerae sint gypseae effigies quibus sunt expressae, — saepius jam dimidio minus senties quam plastes expromere cupierat. Eo magis et cuique graphidi vel photographe etiam diffidere oportet, si aequum ponderatumque proponere judicium voles. Raro enim una aut altera auctoritatem eam habet quae ei judicio necessaria esse videtur : cum photographe lineas saepe quasi hebetat, effectusque atque eminentia umbrarum restinguit ; tum graphis exemplar, aut prope, ex imperitia incuriave adulterat (A. de Caumont, *Abecedarium*), aut contra ex inconscio fere calore, levissimaeque manus sollertia, exornat (Viollet-le-Duc).

Haec maximi momenti nobis, ad certiorem XIII[i] seculi statuariae observationem diligentiamque adhibendam videntur. Quia saepius, — praeter modo separata quaedam vel anaglypta vel sigilla, — statuariae illi quadrante ut dicimus apparatu opus est, et loco proprio, cui ea inter cuncta ornationis structuraeque

aedificii elementa assignata fuit. Injustum esset gravem hanc rationem omittere, quae aliquando evidentia nimis tot operum vitia, cum ex loco propiore cernuntur, excusare aliquatenus valet. Non omnibus indiscrete viva lux favet imaginibus.

Ex eis quae modo exposuimus, facile intelligetur, nobis modum quemdam servandum videri in delectu exemplarium quae nunc ante oculos lectoris ordine repraesentabimus; illa enim in primis legimus quae gypso ducta sunt, atque ita optime testantur dignitatem operum quibus studere instituimus. Haec silicet, ut ita dicam, recensio, pauca quidem exempla praebebit, sed quae, judicio nostro, dignissima sunt ut aequam valentemque speciem XIII[i] seculi arti adhibeant. — Si enim religiosis et velut fanaticis artis hujus admiratoribus fides, optionis modo cura erit, ut dicitur, id est inter tot aeque excellentia haerere debebis; at de optionis cura et nos incerti sumus, fatemur vero, e tanta aeque inconditorum vel imperfectorum operum turba vere praestantia, prorsus probanda, artis capita, haud magno labore educi posse.

Dicat licet Viollet-le-Duc « id tacite intelligendum esse, se de operibus tantum dicere quae pondus pro ratione artis habeant » — qui et a nobis modus accipitur, — nulla causa est cur inter ea sine ullo discrimine *maximam* simul partem statuarum cathedralium nostrarum Parisiensis, Carnotensis, Remensis vel Ambianensis numeret; cur « vulgare » nullum opus egregia illa aetate unquam, vel fere unquam, habendum esse affirmet. Haud vulgare sit, si « triviale » intelligis, volo ; sed sane communia et pervulgata, nec lumine quovis velut proprio novoque splendentia, pleraque sunt quae proponuntur opera. Diligenter, ad summam, saepius cavendum nobis videtur, ne ex vano quasi fonte hauriantur exemplaria quae ad majorem medii aevi artis gloriam assumuntur. Immodicis laudibus non formales velut calumnias opponere valet : hanc vero exceptionem probare sufficit, quod virtus, quod vis efficax, rara, vere eximia, quae apud illam statuariam laudare merito possumus, non corpore ipso artis, neque universitate aut pluralitate, majore etiam parte monumentorum vel artificum reperitur, sed perpaucis modo exemplaribus quae e recusatis pluribus eligere oportet.

Haec ceterum exceptio meritum minime probationemque infirmat artis cui studemus. Necesse quidem et justum est curiose delectum ac discrimen facere, neque omnibus generatim operibus

virtutes assignare quae in plerisque velut carptim et minute, vel indigeste apparent, atque in singulis admodum recte aperteque observantur. Illae vero etsi paucis exemplis deductae, totum nihilominus suum virtutes pretium servant, praestantemque dignitatem cujus perpensatio nobis utilis aeque ac jucunda, ad singularium artibus facultatum, aetatis hujus idoneae, historiae nostrae noscendum incrementum videtur. — Quid prodest judicio res nimium extollere, et, ut ita dicam, sententiam amplificare? Sequitur ut in summum fiducia excutiatur, bonorumque operum auctoritas, dum laudes praeter modum malis conceduntur, imminuatur.

Est etiamnunc id in hoc capite notandum, plerosque typos a nobis expromptos intra certos fines quasi teneri, exque monumentis non ita latae regionis sumi, cujus mediam partem vetus Franciae provincia occupat. Haec enim vere (jam diximus) caput erat et sedes illius artium XIII° seculo renovationis, ut rectissime Viollet-le-Duc docuit, etsi nihilominus finitimis quibusdam provinciis aeque praestantia exempla enata sunt. Longius vero, id est ad medias interioresque Franciae partes, pro minimo saepius putanda statuaria videtur, seu haesitantes velut sculptores ineptis rudibusque superioris aevi rationibus fidem suam servassent, seu genus illud decorationis prorsus exolevisset. Sic apud Carnotenses et Parisios, post Ambianenses et Remos, ne plures enumerem, parum distantes, amplissimas sculpturae officinas fuisse videmus, exercitorum cohaerentiumque artificum globos, quorum circumlata auctoritas plurima sed inferiora saepe opera eruit, quibusque exceptis, singuli, modo plerumque, conatus propria sibi plastae cujusdam studia apparent.

Separatim magnam parvamque, quae dici potest, statuariam persequemur : — natura majores primum statuas, semper fere distinctas et separatas, vel frontibus ecclesiarum, vel sepulcris positas imagines ; — post, quasdam portas, seu quae « portalia » dicuntur, quorum ornatio una et quasi colligata apparet ; — denique, vicissim, alta solidaque, et inferiora planaque anaglypta, ubi personarum statura vel media, vel parva, vel humillima efficta est, fabulaeque et res pluribus congregatis figuris expressae sunt.

1° Statuae distinctae.

Hoc capite quaedam praecipua simulacra memoramus quae vel mediae portalium pilae sunt applicata, vel in ancone vel propria cella, zothecave, proposita sunt, simul ac sepulcrorum effigies. Hae diversae statuae majore plerumque studio, accuratius vividiusque ceteris omnibus elaboratae sunt : ibique praesertim capita XIII[i] seculi artis in magna sculptura inquirere convenit.

Principem Christum illum ascribo qui medium locum in media porta frontis Ambianensis cathedralis tenet [Troc. mus., n°110] : haec forte sola medio aevo statua est, de qua dici possit eam late longeque collaudatam esse, estque reipsa flos artis illius praestantissimaque plastarum ingenii commendatio. Non sequitur ut vitio omni careat : quippe cui exquisitiora opera opponere haud difficile esset. Signum enim illud prioris XIII[i] seculi partis est, plura vero alia posterioris majorem facturae sollertiam, faciliorem artuum mollitiam, elegantiorem vestis dispositionem ostendunt. At nullum unquam majestatem illam oris, formae auctoritatem, gravitatem simul et serenitatem animi et vultus, quas in hoc Christi simulacro, in Ambianensi « Pulchro Deo », ut dicebatur, miramur, pariter praestitit, nullum, adeo magnifice, significationem christiani absolutae speciei, qualem aetate illa interpretabantur, praetulit. Quin immo nobis opus illud genere suo velut unicum adest, cum ei non modo nullum ceterorum quae proxime circum statuta sunt, comparari possit, sed etiam eadem manu exstitisse minime constet.

Christus fictus est, natura major, rectus et draconis basiliscique capita pedibus obterens. Divaricata paululum (ut saepe) crura sunt, ad majorem sane stabilitatem, vel erectiorem status gravitatem personae praebendam, infelicius tamen, quia hic habitus parum compositae vestium dispositioni, totiusque personae decori favet. Sinistrum brachium stolae vel pallii longos sinus sustinet, manusque librum gestat; dextra allevata benedicit. Vultus, manus, pedumque pars extrema admodum nuda; amplo simul et temperato artificio formata. Capitis aversae parti non crassitudo idonea, quod fere reperitur in illis applicatis simulacris vitium; sed pars prior decora vereque ideali ratione

efficta est, puris lineamentis, moderatis artibus, jacturis (ut dicimus) in capillorum barbaeque compositione providenter libereque curatis. — Non vulgaris species oris, firma vero et mitis simul, gravisque, non tristis. Quae statua si loco suo inspicietur, id est de medio frontis ecclesiae e tribus metris pendens, inter multimodam sculptarum imaginum copiam in eam quasi convergentem separata, si idonea praecipue ex parte sole perfusa, vehementissimo effectu animum spectantis certo movebit, quem excitare medii aevi ars plastica queat. Ignotus auctor praeclaram egregii, generosi, proprii ingenii speciem dedit, cui aliud aequale, — e ceteris aetatis ejusdem operibus, — difficillime inveniatur.

Proximas Ambianensi Christo, duas apostolorum statuas ponimus, quae integrae in Sacra Capella Parisiensi etnunc servantur [n° 166]. Dimidium interest seculum inter hoc opus et illud : non inanis tamen collatio quaedam videtur. Cum enim unum elatissima, ut ita dicam, significatio artis apparet, qualem priore spatio novationis illius xiii[i] seculi assequi sculptores valebant, feliciores in expromendis animi sensibus majestateque oris, quam in mollitia artuum, fluitantiumque vestium amplitudine reddendis; tum alterum perfectissimum in magna statuaria opus posterioris spatii sollertior subtiliorque disciplina protulit. Pro decore habitus, compositionis venustate, linearum convenientia et elegantia, libertate et veritate facturae, nil fere medio aevo excellentius. Quae quidem duae statuae delecta prorsus opera fuisse videntur. Opportunitas temporum et loci quibus sunt confectae certa causa est cur ita studiosam singularemque curam impensam fuisse probent. Cum enim in interiore nave (ut dicimus) aedificii, quod colosseam quasi capsam pictis parietibus specularibusque splendide ornatam effingi cupierat rex Ludovicus, nullum spatium plasticae cultui superesset, paucae tantum statuae, paullo natura majores, separatae, supra fictam stereobatae arcaturam, gracilibus camerae fulmentis applicatae sunt, tanquam spectantibus solitas cruces consecrationis manu praebentes. Post variam fortunam, octo demum statuae persiterunt, quarum duae modo integrae loco suo etnunc exstant, sex vero ceterae valde mutilatae in museo quod Cluniacense dicitur servantur. — Pulcherrimae praeclareque adumbratae sunt illae quas in summa observare possumus. Capita vera et venusta, etsi jam paullo compositiora, leni quodam risu affec-

tata, purum naturae modum egressa; hanc praesertim statuam dico cui spissa et calamistrata coma est. Vestis fluitat, lepide ampleque instructa, aliquid tamen ambitiosa, ut ita dicam; habitus vero sedatus, molles concinnique gestus, vivida in totum, et conveniens imago.

Ecce nunc quaedam inter perpaucas Virginis statuas, quibus tempus, ac praecipue Protestantium malleus pepercit. Stantes, ut solitum, effictae sunt, cum Jesu infante sinistro bracchio insidente. Inter primas prioris spatii xiii seculi ea notanda est quae mediae pilae dexterae portae frontis Ambianensis cathedralis affixa est [1]. Quae ecclesia, ut bene notum, adeo semper urbis popularibus placuit, tanti simulacra ejus et ornatio aestimata sunt, ut, usque ad nostram aetatem, ab omni injuria diligenter defensa sit. Integra igitur, ut Christus, ut plerumque aliae circumstantes statuae, haec Virgo apparet. Ut Christus quoque, sed multo minore venustate et industria, testatur quamdam idealis typi indagationem, quae sane cum vicinis personis discrepat, divini dico typi Dei matris. Pedibus draconem obterens, Virgo recta insistit, spectantes contra intuens, simplici habitu, sedata dignaque figura. Ad facilitatem vero plenam ars illa nondum pervenit; aliquanto rigidiores vestes, non molles satis sinus, dexteri bracchi gestus incommode versus. Vultus non sine veritate aut decore, sed, ut omnes aetatis hujus feminarum facies, non ita delicatus, pinguis nimis et latus et quasi rotundus, mento nimis ad collum contracto. In summa, gravis augustusque effectus, Puer, sinistro bracchio insidens, — satis mediocris, ut solitum jam monstravimus, arte, — populo benedicit, ad quem dextram Virgo porrigit, quasi benigne jubens illius auxilium implorari.

Longe alius aspectus est Virginis quae ejusdem cathedralis meridiano transsepto, in pila media magnae portae insistit, « auratae », ut dicitur, « Virginis » [nº **117**]. Non jam quasi typo ideali studuit plastes, sed venustati, gratiae, suavitati matris dulce filiolo ridentis, minimeque spectantes curantis. Opus illud, quod in posteriore xiii seculi parte exstitit, in summa sollers periteque factum videtur, sed inferius tamen, et certe pluris

1. Nondum e gypso ducta. Vide apud Viollet-le-Duc (*Dict. Architect.*, vº [Sainte Vierge], t. IX, p. 369), satis aptam graphidem quamdam.

aequo aestimatum. Paucae enim statuae dilucidius demonstrare valent quod fuerit principium, qui fons, inclinationis artis XIII[i] seculi ante etiam extremos aetatis ejus annos. Coxarum primo flexus, fere jam universus ab altera seculi parte, nimis expressus apparet; vestis quoque, quae laudatur, male composita est; in ea pura elegantia, mollis subtilitas desiderantur. Cum, sinistro e latere spectantis, graves quidam et crassi immodicique sinus, tum, dextero, ingens et unus sinus apparet, rectus rigidusque, verticali linea de sinistro (reflexo) bracchio ad pedes defluens : qui et mos frequens in simulacris aetatis hujus, convenientem hic modum excedit. Gestus etiam parum naturalis. Caput praesertim non tolerari potest : cujus affectatus est habitus, insolens quaesitusque risus, compages indecorae et crassae. — Quae distantia, quae immatura inclinatio, si Sacrae Capellae Parisiensis apostolos respexeris, qui fere eadem aetate facti sunt!

Virgo portae quae « claustri » dicitur, in septentrionali transsepto Parisiensis cathedralis, nobis multo probabilior videtur [n° 158], quod majorem in habitu modestiam et veritatem, vestes non ita graciles mollesque, convenientiores sinus praebet. Est tamen idem ad sinistram partem sinus iste rectus quem jam improbavimus, velut baculo similis, aut fulturae cuidam quae statuam excipiet. Vultus, qui, ut solitum, puero Jesu leniter ridet, parum affectatus est, sed coacto tamen habitu, durisque compagibus, infelix.

Aliam, commemorandi gratia, Virginis statuam ejusdem aetatis, etsi exemplum ejus nullum proferre quimus, subjungemus, quam in una e chori Trecensis cathedralis capellis separatam invenimus, cujusque ars praeclara, necnon vera pulchritudo oculos nostros movit. Jam quaedam affectatio inest : coxarum solitus flexus, corpus ut ita dicam procurvat, magno velut conatu onus humeris tolerandi; vestis verum eximie expressa est. Caput pulchrum sane, etsi paullo latius, lepidusque risus; dum pueri contra vultus, ut plerumque, ineptus. Haec statua, aeque ac quam supra diximus, non natura major.

Quaedam nunc inter humanas modo et vitae communis repraesentatas personas exemplaria proponemus. Remis, in angusto vetere vico (dicto « de Tambour »), etnunc domus exsistit, Musicorum nomine nota, cujus frontem superiore in tabulato

quinque paullo natura majores statuae, cellis affixae, exornant [1]; adolescentes, sedentes, variis organis canentes. Quae etsi hodie inficete sufflavo colore pollutae, spectantium animum venustate habitus, mollitia gestus, vultus dulcedine, movent. Ad rationem quamdam, haud raro aetate illa adhibitam, saneque praesenti casu commodam (quia hoc vico non longe recedere pote) truncus pectusque et humeri nimis procurrunt, non sine crurum detrimento, quae aperte supra modum brevia efficta sunt. Ad summam, ceterum, inter gratissimas mediae partis XIII[i] seculi statuae illae numerari posse videntur.

Remis quoque, interiore frontis cathedralis pariete, non sine stupore enormis quaedam murorum ornatio observatur, quae non modo ordine egregia, sed singularis et unica suo genere praestat [nº 183, at tres modo personæ]. Notum est enim plerasque (quas gothicas dicimus) ecclesias, a tergo frontis illius, — sculpturis ornaturisque copiose, ad verbum, vestitae, — id est introrsum templi, ingens inter supraque portas parietum spatium praebere, cujus tota nuditas (ut in Ambianensi cathedrali) cum circumdantibus vere pugnat. Hic vero paries totus (tribus etiam partibus suis) quadam architecturae structura quasi indutus est, quae e septem ordinibus parium cellarum praestanti ornatu conclusarum superpositis constat. Cellae cuique una persona, natura paullo minor, affixa est, solida vivaque imago, recta vel adversa fronte insistens, vel in dextram laevamque conversa quasi cum vicinae cellae persona colloquium faciens. Sic milites et armigeri, monachi presbyterique permixte ubique dispositi apparent ; — quantum saltem conspiciendi facultas est. Namque a terra, vel potius supra exsculptam quamdam stereobatam cui pendentes pallae affixae sunt, usque ad altitudinem triforii (arctae dico porticus quae supra principales navis fornices, infra vero summas fenestras structa est) cellarum ordo fertur ; quae nimia cum jam spectantibus apparet excelsitas, quia mediam etiam camerae ipsius mensuram superare videtur, tum primos tantum ordines, jam ad tria fere metra sublevatos, clare perspicere spectantes possunt. Quae mala dispositio sane desiderio est, nam pulchra validaque sculptura illa est, ingenua

1. Vide unam ex eis apud Viollet-le-Duc, *Dict. d'Architecture*, vº SCULPTURE, t. IX, p. 165, et MAISON, t. VI, p. 237.

et propria arte concepta, docta certaque manu expressa : auctor incepti operis, artifex forte unus, technicam rationem insigniorem sine dubio praestat quam plerique plastae qui XIII[i] seculi ecclesias signis ornaverunt. Sunt adhuc quaedam imperitiae signa, insoliti quaesitique gestus, impediti spatioque velut iniquo occlusi status : sunt etiam compositae artes in fingendis capillis barbaque. Plures vero omnino praestantes personae notandae sunt, milites aliqui, exempli gratia, plenis robustisque artubus, libero et facili habitu instructi, qui vere ex antiquis exemplaribus (romanis dico) quodammodo orti dici possint. Levis quidem conjectura, quamvis nulla, ut opinor, aetatis hujus, sculptura, ejusmodi comparationem verisimilius probare valeat. Quod, ceterum, non ita mirum putabis, si recolueris has duas notissimas mediae januae frontis ipsius cathedralis affixas statuas (visitationem Virginis dictas) quarum jam artes virtutemque exprimere, quasque etiam exempla vel apertas imitationes fuisse antiquorum, hodie perditorum, monstrare curavi.

Notanda sunt quaedam separata, haud multa quidem, extra quae ecclesiae januarum obliquis recessibus affixa sunt, sanctorum vel angelorum simulacra. Sic, in media sinistrae portae Ambianensis cathedralis pila, sancti Firmini episcopi imago [nº 112] ; sic et potius, majore ingenio distincta, sancti Lupi statua, quae in una ex absidis capellis praeclarae ecclesiae Sancti Lupi Esserenti erecta apparet [nº 191] ; abbatialibus vestibus indutus, sinistra manu sanctus baculum tenet, dextraque benedicit. Est mollitia et amplitudo vesti, ingenuaque habitui majestas, quae non mediocrem vim probant.

Liceat quoque, etsi paululum XIV[um] seculum delibare, ut ita dicam, oportet, duas statuas, designare, misere vero summo corpore mutilas, quae utraque ex parte januae frontis ecclesiae Sancti Martini Laudunensis insistunt : angelos candelabra ferentes [nº 214]. Quorum etsi quaesitus habitus videtur, maleque solita ea inest corporis in coxas inclinatio, at vestium lata et decora instructio, subtilis elegansque in exsequendo manus, opus haud dubie inter callidiora artis jam fere maturae illius testimonia collocant.

Ascribo tandem aliqua sepulcrorum aetatis ejusdem simulacra; quae saepe, ut suapte natura aequum accuratius compositiusque elaborata videntur, quam ullum signum aliud, et veritate prae-

sertim majore aliquando, viventis exemplaris significationes exprimere valent. Ita jacens imago Philippi Ludovici IX regis fratris, Regalis Montis olim in abbatia, Sancti Dionysii hodie in basilica servata; posterioris spatii XIII[i] seculi opus [n° 188]. Persona, junctis manibus, recubat, longa veste induta, cujus faciles et ampli sinus figuram, ut solitum esse aetate illa videtur, tanquam rectam stantem formatam esse indicant. Pedes tamen, de more, leone nituntur, caput pulvino : os vera effigies viventis personae videtur, eoque magis proprio decore totum commendat. Pulvinus vero, qui huic simulacro praecipuam venustatem addit, manu una a duobus pusillis quasi angelis sublevatur qui, genu inflexo, ad defuncti caput obversi, ei leniter subrident alteraque manu turibulum porrigunt. Quae eleganter elaborata sigilla, venustate vere praestabilia XXX[a] modo centimetris alta sunt : minore hoc habitu, imperitia disciplinae negligentiaque nudi multo minus apparent, ut et mox aliis ex exemplis probabimus, quam cum duobus vel tribus metris altae statuae sunt, eoque amabilius est opus.

Eadem in ecclesia, aetate eadem, sepulcri monumentum objicitur Constantiae Arelatensis, Roberti regis uxoris [n° 189]; corona frons cingitur, dextera manu pectori imposita est, sinistra librum tenet. Imago cum non e vivo vultu expressa sit, paullum frigida vel torpida, etsi dulce subridens, apparet; at praeclara tamen, vere etiam singularis inter regia circumdata ejusdem aevi simulacra eminet. Mollia vestimenta, ampli egregiique sinus, pulchra delineatae manus; decorus in summa typus, haud vulgaris; sincerioris ingenii opus quam, utputa, Ambianensis aurata Virgo.

Unam insuper sepulcri statuam ascribam, Johannae Flandrensis (?) marmoream effigiem affabre factam, in ecclesia nunc Sancti Martini Laudunensis servatam [n° 215], cujus abbatissae vestes castusque habitus modestiam simul et dignitatem ostentant.

2° Postium statuae.

Nunc quasdam inter amplissimas maximique momenti cathedralium nostrarum januas, vel quae « portalia » dicimus, proponere oportet. Ingentes illae quasi societates imaginum personarumque e lapide exsculptarum aedificiique inferiori fronti

affixarum, quamdam plerumque communem artis, facturae (si dicere licet) notam praebent, nec singulis vulgo proprium ingenium, vel peculiaris typus, instar ejus quae mediam pilam obtinet effigiei, adhibitus est. Sunt tamen exceptiones, vel plura fortasse genera, aut diversae expressus rationes permixtae sunt, ut Remis, vel architectonica januarum structura quasdam statuas in majorem lucem profert, quibus ergo diligentiorem operam non secus ac medio signo plastes impendit.

Sic in Carnotensi cathedrali casus accidit qua, cum transsepti septentrionis et meridiei januis verae perticus, ut bene notum, antepositae sunt, statuae quae procera statura separatis porticuum earum pilis affixae sunt [n^{os} 125-131], longe, sine controversia, eas praecellunt quae januis ipsis sunt applicatae, — vulgaris generatim et mediocris manus opera. Prothyrorum contra columnae vel pilae quamdam haud inanem artis curam probant: An ideo primae notae opera sunt? quin etiam effusiore illo favore vere digna atque admiratione singulari, qua spectantes quidam ita vehementer commoventur? Certe ego, si quid in arte recte judico, scholam illam Carnotensem plus aequo aestimatam esse opinor. Illa enim, medio XIII° seculo inchoata, mire imperita pro aetate minimeque progressa apparet. Licet decor praecipue, venustas, dulcedo, serenitasque vultus, expressus, apud statuas illas praedicentur; at species, primum, vultus (quibusdam exceptis iconicis simulacris, ut illo Sancti Gregorii Magni [n° 129]), omnes similes inveniuntur, vulgares et, sine vere proprio lumine, quasi ex sacratis typis expressae : typum dico senis promissa crispaque barba, sereno intuitu, vel typum mulieris, plenis buccis, tumido mento, placido dulcique aspectu, — atque ubique praebentur, nec Carnutis modo; sed hae statuae intactiores sunt locoque magis conspicuae. — Deinde, evidenter impar corporis habitus est, tardiore e plastica; hoc est enim proprium Carnotensis scholae : personas, sin minus quodam modo praestantes, nec nisi ingenua arte informatas, disciplinae inertia, tarda manus scaevitas, formarum linearumque rude judicium, compositionis inopia, quasi deficiunt. Corpus enim velut sopitum adhuc apparet fasciis quibus involutum XII° seculo erat, ut in fronte ejusdem cathedralis, neque ei multo majorem mollitiam libertatemque vestes nova arte praebent; ad summam non crassitudinem illam, non mobilitatem simulacrum praestat, de qui-

bus statim dici potest plasticum opus e natura, e conveniente exemplari assumptum esse. Non, ut in recenti sermone nostro dicimus, non « flectitur », non « vertit » imago.

Observetur, exempli gratia, symplegma saepe exhibitum, Visitatio dictum (id est statuae Virginis et sanctae Annae) Carnutis septentrionali transsepti porticui affixum [nº 127]. Difficillimum vero est, — cum apta videatur vultus intentio nec non quodam lepore praedita, praesertim si ex intervallo opus conspicias, — corpus jam rigidum habitu planumque, infelicius accommodata veste induere, cujus inepte dispositi sinus sineque ullo judicio pedibus multiplices, inopiam mediocritatemque artis expromunt. Neque alia ratione fere omnes porticuum illarum imagines effictae sunt; e quibus unam tamen excipiam et secernam, quod majorem libertatem dignitatemque habitu praefert, illam dico quae (in meridionali porticu) Sanctum Theodorum effingit, militis cultu ornatum, dextra manu lanceam tenentem, sinistra scuto innixum [nº 131]. Quamvis imperitia quaedam appareat, nec partibus singulis convenientissimus commensus respondeat, haud vulgare caput est, sed proprius quidam personae decor inest, et, ut diximus, « character ».

Notandum est, pluribus ex istis adeo inconcinnis scaevisque statuis Carnotensis transsepti porticuum, basim vel stylobatam ectypis, parte superiore, admodum eminentibus sigillis ornatam esse, quae, exquisita manu efficta, liberiora, veriora, elegantiora longe quam magnae superae statuae videntur; exempli gratia venustam effigiem Davidis harpa canentis [nº 125] commemorabo.

Ambianensis cathedralis tres januae frontis, vel potius porticus, multo praestantiorem aspectum praebent. Intelligitur extemplo egregiam illa civitate sculpturae scholam floruisse, felicibus ex sano judicio rectaque naturae animadversione virtutibus praeditam quibus in summa imperitia scaevitasque quadamtenus teguntur. Magnae statuae recessibus postium affixae — quas tantum proferam — omnes prope consimiles apparent; typi scilicet vicini sunt, qui etiam Carnotensis cathedralis typis non dispares videntur; at majore venustate hae praeditae sunt, et vita et mollitia; sanius ac politius judicium apud artifices fuisse testantur. Corpus minus planum apparet; capita, etsi paululum rigida adhuc et defixa, non fatuum istum risum praes-

tant qui posterius saepissime oris dignitatem vitiat. Feminarum vultus decori, grataque intentione ornati, etsi teretiores adhuc, ut solitum. Laudanda tandem generatim commoditas et aequitas membrorum; habitusque modicus imaginum quae tamen omnes non propiore ex loco invisendae sunt, quod typi saepe crassi sunt, prope vulgares. — Inter eas quarum egregiam speciem felicioraque lineamenta miratus sum, paucas statuas proponam : dexterae januae in postibus, pulchram Annunciationem quamdam (Angelum cum Virgine); Visitationem (Virginem cum Sancta Anna); Jesu praesentationem in templo, infantem scilicet a Simeone sene inter manus porrectum; media in porta, apostolos, utraque ex parte ad nobilem illum Christum pilae mediae conversos, quorum cuique singularis oris significatio expressa est et vere proprius habitus, quasi mens in sermonem cum proximo intenta esset; sinistra denique in janua (de S° Firmino dicta) angelum et sacerdotes aliquos : hae vero paullo inferioris aetatis statuae esse videntur, inde aliquanto faciliore fortasse manu, quam ceterae, formatae, sed minus etiam personarum dispositione praestantes.

Remensis cathedralis frontis januae non hunc consensum disciplinae et rationis, hanc cognationem typorum praestant, quae Carnotensibus vel Ambianensibus praesertim portis aspiciuntur, at rursus personae quae recessibus earum affixae sunt singulari magis vi praeditae videntur, majoremque generatim statuae illae habitus libertatem mollitiamque probant. — Mediam portam, et sinistram praesertim, dico; nempe dextera, plerisque figuris, longe duriore et infeliciore manu ornata fuisse videtur. — Sunt ceterum ea tempestate, admodum posteriore, effictae, ubi jam quibusdam imaginibus vitia aliqua XIV[i] seculi artis insunt, vel affectatio gestus flexusque habitus, vel fatuus oris risus. Ita, egregiis et plena laude dignis artibus, nova et odiosa quaedam mixta cernuntur, — quae etiam amplitudo staturae personarum apertiora patefacit. Sunt vero felices et ingenui status, elegantes et bene compositae vestes, grati vultus. Nescio quid magis proprii cuique effigiei inest (ut distinctis quas jam proposuimus statuis) quasi instinctum suum peculiarem opere artifex tunc demum manifestum quoquo modo facere voluisset; omnes enim statuae illae sane in officina seorsum effictae, post et sede sua non simul minoreque fortasse ordinis cura, locatae fuisse videntur, ex con-

traria ratione ac Ambianis, exempli gratia, vel Parisiis. — Nec mirum si mos illud adeo valuit ut, statuis illis prorsus solutis, vividiora et plana minus corpora videantur. Jam simili ratione et felicius etiam, plures in parte interiore frontis ecclesiae et zothecis quibusdam locatas imagines vere et molliter expressus esse vidimus. Tribus vero exterioris partis januis varia, ut mos, angelorum vel apostolorum, vel Testamenti personarum simulacra applicata sunt; e quibus duo modo e maxime significantibus proponam. Senis effigiem quae sinistra e parte mediae portae aspicitur, amplo quasi pallio induti, fastigatoque pileolo quodam tecti [1]; simplex vultus expressus est, sed non sine dignitate magnaque honestate. Prope et sanctam quamdam mulierem, grato modestoque habitu decoro mollique gestu, praestantem. — Fere ex adverso illae (quas jam proposui) conspiciuntur, Virginis et sanctae Annae effigies, ex antiquo monumento fortasse expressas, de quibus hic nihil dicendum est quod minime ex propria XII[i] seculi artis ratione effictae sunt.

Sunt et in eadem ecclesia, Remis, transsepto septentrionali januae duae juxta positae, quarum paullo antea imagines exsculptae sunt. Christi jam signum protulimus, in media pila sinistrae januae fixum. Multo autem minore magnae ceterae statuae postium arte, ineptioreque manu compositae sunt. Vestes quidem amplae sunt, vividusque habitus, partes vero corporis inter se dissident, unde odiosum nimis totum evadit.

Tribus his praestantissimis ecclesiis nostris quas jam commemoravi, una etiam prioris XIII[i] seculi partis, nec minime excellens, addenda esset, Parisiensem dico cathedralem, nisi longe miserabilior quam in ceteris frontis ejus statuarum sors fuisset: quippe quae fere omnino deletae proximo seculo sint, nostraque aetate prorsus, etsi accuratissime, novatae atque ex integro velut effictae fuerint. Haec eo majori desiderio jactura est, quod tympani ectypa symplegmata, parastatarumque, postium et archivoltarum sigilla et anaglypta, quae fere adhuc integra restant, decoram, liberam et vividam artem testantur.

Paucam etiam, — ut ultimos XIII[i] seculi artis testes (ut ita dicam) exploremus, — de statuis praestantis quoque frontis Argentoratensis cathedralis dicere liceat. His jam exemplis affec-

1. Vid. Viollet-le-Duc, art. Sculpture, t. VIII, p. 152.

tatio ambitiosaque elegantia praepollent, quae aliquando in ridiculam etiam effigiem vere abeunt; quantam vero venustatem pluribus partibus paucisque statuis mirari spectantes possunt! Duae ex iis, e gypso ductae, effigies nobis documento erunt : cum enim haec virgo demens Scripturae [n° 352] nil aliud haberi possit quam insolens indecorusve typus quidam, qui non exquisita saltem factura rependitur, nam vestis (ut corpus) affectata est et male composita, — quia sane plastes insigne documentum inusitata quadam effigie exprimere cupierat, judicio autem impar operi erat; — illa contra Virgo Sapiens [n° 351], elegantiam venustatemque in membrorum plastico expressu, amplitudinem dignitatemque in vestium compositione adeo praestat, ut praetermittatur quidquid odiosi et nimii habitus gestusque in summa habeant. Vultus etiam quodam modo gratus et decorus videtur; nam, ut insolens vere est, ita minime fatuus vulgarisque : inest haud dubie statuis illis, justa statura effictis, major industria, sollertia manus exquisitior, quam pluribus ex eis quae XIII° seculo ampliores factae sunt.

Proferenda tandem videtur, velut seorsum, quasi appendix simul recognitionis hujus et transitus quidam ad ea quae prope perpensabo monumenta, una modo humilis mediocrisque latitudinis ecclesiae janua, quae majoris fortasse momenti est quam primum videtur, dignaque praesertim quae magis innotescat : illam dico quae Cenomano in fronte media Beatae Mariae de Cultura ecclesiae patefacta est. Testis est enim et exemplar fere unicum propriae peritaeque scholae artificum extra (quod dicimus) Regium Dominium. ultimis fortasse XII[i] seculi annis (regnante Philippo Augusto), expromptae, renovatamque statuariae artem jam felicius, paucis operibus suis, probantis, quam pleraeque Carnotensis cathedralis (haud dubie posterius editae) imagines probant. Egregie, cum praealto aliquo sub vestibulo frontis porta ea locata sit, integrum opus servatum est, eoque accuratius forsan singulis in partibus elaboratum. Sex procerae statuae postibus affixae sunt (media pila nulla) : apostolorum personae. Supra, tribus archivolta ex ordinibus composita, angelorum, patriarcharum, sanctorumque sigilla praebet. Media autem parte in limine ultimum Judicium expressum est, in tympano, Christus sedens, inter Virginem, sanctum Johannem duosque minutos genibus advolutos angelos. Quae omnia praestanti certo

arte effecta sunt, vere decoreque expressae nudae partes, ample compositae vestes, typi etiam quidam quasi nescio quo antiquae venustatis colore ornati. Non contigit vero ut opus illud e gypso duceretur, ex quo difficilius videtur admirationis hujus nostrae legentes participes facere. — Testis adest tamen egregius, cujus auctoritas haud inanis sane erit, eoque magis nobis proferenda quod rarissime apertius diligentiusque judicium explanavit. Julium Quicherat dico, jam laudatum virum illum qui medii aevi architecturae studium vere renovavit, cujusque eruditum ingenium semper in omni artis judicio sese elegantissime ostendit. Qui cum nunquam maxime acrem curam plasticis Gallicae medii aevi artis operibus impendisset, cujus vitia exquisitum ejus pulchri sensum, jure, offendebant, eo tamen die quo Cenomanensis ecclesiae portam aspexit, ita dignitate operis captus est ut illud protinus artis caput esse notaret. Liceat igitur opinionem illam, verbis ipsis (etsi effusa paululum fortasse, quantum ego ipse de visu intelligere valui, videntur), ex itineris tabulis quibusdam, vivis quasi testibus, expromere : nam non modo inedita est, sed vere peculiaris (in hac materia) inter eas quas de summo illo viro adhuc colligere possumus : « ... Il n'y en a peut-être pas de plus parfait pour les nus. On ne voit là ni la lourdeur romane, ni la niaise afféterie gothique, ni cette pauvreté d'exécution qu'on reconnaît dans les pieds et dans les mains des meilleures statues du XIII^e^ siècle. Les mains sont nobles et pleines de mouvement. C'est surtout aux figures d'apôtres, placées dans les entre-colonnements des piédroits, qu'on peut constater cela. Les personnages nus qui représentent le Jugement dernier sont presque de l'antique, et l'on peut dire admirables les figurines qui remplissent les voussures du cintre. »

3° Ectypae tympani januarum imagines.

Distinctus locus mihi tribuendus visus est exsculptis imaginibus quae tympano et limini januarum ipsarum de quibus modo quaesivimus, vel paucarum aliarum, intra archivoltas affixae sunt. Quia haec opera plane labore, ratione, compositione cum ceteris discrepant : quippe quae cum non modo multo humilioris staturae sint (licet nonnunquam communem habitum assequantur personae), sed etiam ectypa tantum effecta sint, aversaque ex

parte parieti infixa, quod facilius sane exprimendae speciei erat, quae jam una facie et quasi certioribus lineis constat; — non mirum certe videtur si felicius processerunt. Scimus enim, odiosissimum istud vitium diutius simulacris substitisse, quod rigidiora et quasi fasciis involuta, et lateribus vel aversis saltem partibus plana, essent. Liberiores vero habitu, vividiores gestu, faciliores loco, ectypae apparent personae, seu distinctae, seu, ut saepissime, per symplegmata diversa ordinatae sint. Veritas accuratius repraesentata est, quod ex industria variati sunt effectus; aptior partium convenientia videtur, quod minutiores partes sunt; venustioresque artis virtutes, quod felicius tecta vitia.

Carnotensis ita transsepti in januis, longe major venustas et mollitia habitus tympani ectypis imaginibus inest, quam statuis quae postibus applicatae sunt. Sic meridionalis porticus tympanum (quod e gypso ductum est [n° 128]), ultimum Judicium parte infera praefert, ut de more mediis portis expressum est : in summa autem Christus adversus aspicitur, seminudo pectore; Virgo vero dextera parte ad eum prorsus conversa, sanctus Johannes, sinistra sedens. Vultus, etsi dulces et sereni, paululum insulsi videntur; haud vulgares quidem sed non vere peculiares nec ceterorum plerisque absimiles; nudae partes rigidiores sunt, at vestes facilitatem libertatemque praestant, dignitasque vera, in summa, operi inest, et vita.

Quod enim opus fortasse majorem, ut opinor, veritatem gestus et faciliorem habitum personarum praebet, quam illa, multo amplius laudata, glorificatio Virginis, quae sinistrae portae frontis Parisiensis cathedralis in tympano affixa est [n° 153]. Ibi haud aliter disposita res est; at Christus totus vestitus est et coronatus, non secus ac Virgo : habitusque praesertim infelicior videtur. Ambae enim personae juxta prorsus et adversa fronte sedent, cumque inferae partes corporis rectae et rigidae sint, superiores contra, simul una alteri obversae sunt, capitaque introrsus spectant. Inde fit ut non modo vestis, cum ex genibus ad pedes recto rigidoque sinu defluat, quasi obtorta corpore fuisse videatur, sed gestus etiam, ex illo coacto motu impediti fiunt et indecori. At rursus, factura hujus tympani Parisiensis peritiorem manum probat quam Carnotensis, elegantiorque et matura magis arte videtur. Sepulturae Virginis, quae infera in zona ficta est, dignitas aliqua est et simplicitas, sed et ibi vulgare aetatis

hujus vitium apparet : cum capita omnia genere nimium consentiant significatioque eadem vultui sit, dulcis et serena et plane insulsa. Tantum et plus etiam dici potest de sex majoribus senum imaginibus quae subter in limine juxta sedentes effectae sunt; ne iterum odiosam illam incongruentiam artuum commemorem.

Haec propria tympani ornatio, quae portis dictis de Virgine, fere ubique eadem, cathedralium nostrarum in fronte apparet, quasi certa ex disciplina instituta esse videtur. Paucas etiam e multis proponere licet. Sic, Ambianis, dextera frontis janua, novum vere exemplum Parisiensis ornationis tympano praebet. Infera parte, pariter, sex senes sedent; supra, mors et sepultura Virginis effictae sunt; in summa parte glorificatio ejus. Dispositio partium eadem, idem fere personarum habitus; interposito tantum eo discrimine quod, — si peritiorem liberioremque sane formam, feliciorem convenientioremque veste et gestu speciem hoc praebet opus, quia ibi jam, nec mirum, matura magis ars est, — illud quod Parisiis spectamus, ut videtur, peculiaris et ingenui, quibusdam partibus, praestat, quod et suum haud minus pretium habet. — Sic et Autissiodori cathedralis dextera frontis janua Virginis vitae memoriam haud absimilibus modis praebet; vere spectabile opus est, et dignum quod distinctius observetur atque e gypso ducatur.

At redeamus ad illam praestantissimam Parisiensem cathedralem, cujus ex tam paucis integris adhuc operibus omnia fere suum momentum habent, omnique genere, vel statuae vel anaglypta, attentam explorationem desiderant. In mediae januae frontis tympano infelicior quidem sed non spernenda ornatio exsculpta est. Ultimum, ut et Carnuto, parte infera, Judicium expressum est; ingens et omnimoda multitudo, densatis ordinibus congregata aspicitur; supra, Christi summi judicis, duobus angelis prope sistentibus, Virginisque et S[i] Johannis simulacra, majore ex statura, posita sunt. Usitata est etiam et quasi praefinita haec dispositio operis, nam plerisque in mediis portis cathedralium eadem fere invenitur, saepius vero inferior decore et libertate videtur ceteris ectypis tabulis, illis utputa quae Virginis vitam repraesentant. Magnae personae duriorem generatim atque magis inficetam facturam, ut Parisiis, vel Biturigibus, probant, quia praesertim seminudus Christus est, scimusque

nudas partes infeliciores semper medio aevo effectas esse, sed non sine vi quadam habitus et dignitate oris quae totius operis speciei non inanem auctoritatem praebent. Infera pars etiam turpis saepe ridiculave videtur. Aequum nunquam modum in deformium imitatione medii aevi artifices tenere valuerunt. Humilia vulgariaque vitae spectacula, vel simplices modestosque animi sensus, longe feliciore semper successu expresserunt, Judicii ultimi vel inferorum (quod potissimum vividis coloribus ad terrorem spectantibus incutiendum effingere curabant) omnimodae personae nobis raro vel oculos mulcere vel animum movere possunt, mirumque tantum et insolitum velut spectaculum objiciunt. Sic notissimum Bituricense Judicium accipitur [n° 208], etsi ex conferta turba rudium ferarumque personarum, crassa simul et affectata manu effectorum, sigillum unum eminet, medius ille angelus qui animas expendit, majore statura, dulci vultu, cujus vestis amplitudinem simplicitatemque, vere dignitate insignis, praestat.

Venio nunc ad longe praestantius digniusque studio ejus, Parisiensi quoque cathedrali, transsepti meridionalis in janua, affixum. S[i] Stephani martyrium dico [n° 162], duabus zonis in tympano ordinatum. Fere solidae exsculptae personae non ad unum metrum altae effectae sunt. Prima zona, in limine, sanctus repraesentatus est cum legis doctoribus disputans, quorum hi exclamant, illi vero silentes et attenti audiunt; prope edocens populum spectatur, post et in judicium ab incensa turba abreptus. Superiore zona lapidibus obruitur a quattuor hominibus, quorum vestes Saul (in angulo archivoltae tympani) sedens servat; prope, martyris corpus a christianis pie sepultum cernitur. Summo tandem tympano Christus in nube sancto benedicit. — Inest in ingenuo illo et vere singulari opere ampla quaedam in personarum instructione intelligentia, libera veritas habitus, multa vitalitas, felicior convenientia partium; etsi aliquanto rigidiores vel falsi gestus pauci, opus illud haud dubie inter perfectissima XIII[i] seculi opera ducendum est, ceterisque praesertim ejusdem generis quae apud nos restiterunt ectypis symplegmatibus ut praecellens habendum. — Unum et alterum etiam exemplum proponam; eadem demensione, Ambianensis meridionalis transsepti janua, in limine (supra virginem auratam) XII apostolos stantes affixos praefert [n° 117]. Nec medio-

cris, nec imperita factura videtur, sed libertatis et proprietatis personarum cupidinem quamdam probat; at vitia eadem fere, quae in Virgine ipsa jam notavimus, in sigillis observantur, quaesitos paullum et habitum et gestus, stolidos risus oris, plures inconcinnas vestes. Sunt etiam, supra, quattuor zonae in tympano exsculptae, minutorum sigillorum ordines, quorum liberam et veram instructionem vividumque impetum aeque laudes, risum vero et gestum paullo jactantiorem improbes. — Remis quoque, in transsepto septentrionali, januae dexterae limen est ubi martyrium Nicasii episcopi expressum est [nº 167] : non rudis vel imperitae, sed gravis et durioris manus opus videtur; nec vulgares typi personarum, sed invenusta tamen et quasi depravata facie.

4º Anaglypta ectypa sigilla.

Nunc illum intueamur ordinem operum quae, ut opinor, perfectissima et venustissima, quatenus laudandum sit, XIII[i] seculi statuariae incrementum probant : anaglypta dico, minutasque ectypas imagines ad ornationem reservatas, in stereobatis quibusdam ecclesiae, vel postium scaporumque januarum basi, vel parastatarum aliquorum capitulis, vel et ornamentis variis minutisque interioris templi monumentis, ut pulpitis (quae *jubé* dicimus) vel stallis, vel altarium tabulis, exsculptas. Hanc enim minutae statuariae materiam praecipue apud nos proprium vere ingenium, artemque sinceram, sollertem manum, ingenuamque inveniendi copiam artificum medii aevi majorem in lucem produxisse censeo, quam tot impares torpidasque enormes imagines. Infelices in procerae staturae effectu, haesitantesque de proprio habitu personarum quibus dignitatem amplitudinemque addi necesse est, sculptores in minutis contra anaglyptis ectypisque sigillis, confestim quasi libertatem suam repetunt et recuperant. Jam tympanorum liminumque liberiora brevioraque symplegmata sese velut in spatium suum felicius extendisse comperimus. Nunc argumentorum typorumque diversitas, apta compositio partium, commoditas et aequitas formarum, operibus illis expromptae, animum etiam plus ducere valent.

Primas partes quibusdam Autissiodorensis cathedralis frontis

stereobatis tribuam, ut singularis pretii operibus, etsi imagines earum foede detruncatae vilissimoque etiam lapide exsculptae sint [n^{os} 121-123]. Argumenta in juxta positas velut zothecas distributa sunt, in loculos eleganti structura terminatos, tripartitis fornicibus (minutis ipsis quasi fastigiis interrasilibus exornatis) circumdatos; duo vel tria unicuique sigilla affixa sunt, solidae prope et solutae personae per quas fabulam praesertim Davidis et Bethsabeae effingere artifices voluerunt. Non minutiore statura, convenientissimus formarum partibus singulis responsus oculos quamprimum dignitate haud vulgari movet; nec minus egregia sollertia compositionis, peculiaris levitas manus (cujus nimia quidem lapidis teneritudo laborem faciliorem sane fecerat) judicio spectantis probantur. Sic, inter eas dexterae januae personas quarum plures partes integrae etiamnunc supersunt, distinctius duas sedentes imagines, Davidem cum Bethsabea (ut verisimile) proponam; aliae quoque prope stantes, et Bethsabeae lavantis species, contuente procul rege, non omittendae sunt. Minuta sibyllarum effigies, parvis in anconibus ubi committuntur arcus positae sunt, nec ceteris sigillis decore impares. — At mediae portae stereobatae praestantiores etiam imagines apparent [n° 121] : quae etsi paullo majores et altius eminentes, feliciorem tamen, dictu mirabile, integritatem servaverunt. Eo melius habet quod vere delicatissimam facturam opus testatur. Alias, praesertim, Davidis cum Bethsabea sedentes imagines, etsi capita manusque desunt, habitus libertate et veritate eximius, vestesque mollitia venustateque sane incomparabiles commendant. Id tantum vitio dari possit, quod motus flexi dexteri cruris Davidis paullulum quaesitus sit : qui liberior simpliciorque in eadem persona apud idem vicinae januae argumentum (quod jam dixi) expressus est. Opus in summa lepore et elegantia ornatissimum est, quod et unicum medio aevo, si integrum, videatur.

Inter venustissima etiam aetatis hujus opera collaudanda est zona quaedam anaglypta, minutorum sigillorum, quae basim mediae pilae januae apud septentrionale transseptum Remensis cathedralis, sub Christo velut inferius capitulum quoddam cingit [n° 185, dictum « des Drapiers »]. Personae 32 vel 33 modo centimetris altae, mediocriter eminentes, sed artificiose et decore ordinatae sunt, singularique cum libertate, vita, veritate ex-

pressae; pannariorum ibi negotia repraesentata sunt, ementium et vendentium sermones, mensa ubi explicantur panni, scribens tabularius : singuli vivis ex exemplaribus assumpti typi videntur, vultu aeque ac veste, habitu, gestuque quisque colore proprio distinctus. Habemus lepidum simul et rarum vulgaris medio aevo vitae spectaculum.

Optimi hujus operis auctori, si (ut videtur) quodlibet aliud in eadem cathedrali generis ejusdem efficit, fortasse attribui pulcherrima quaedam sigilla possint, quae scapis portarum principalis frontis aliud supra aliud applicata sunt [aliquot in nº 181]. Distinctae sunt personae, paullo majores, vel stantes vel sedentes, fere solidae exstantes, e Scriptura assumptae, vel praesertim XII mensium anni labores moresque exprimentes, ut, exempli gratia, ad focum sistentem stolatum hominem, aut armatum militem, aut sedentem senem quasi fessum, etc. Argumenta ea frequentissima diversis partibus portarum, in fronte cathedralium, reperiuntur; haec vero libertate et novitate gestuum vestiumque, veritate et decore proprii cuique habitus longe ceteris antecellunt. — Quae ceterum optima aetate statuariae medii aevi opera edita sunt, ultima parte XIII[i] seculi. Si enim cum eis effigies stereobatae sinistrae januae Ambianensis cathedralis compares [nº 116], quae ordine in XXIV (cum Zodiaci signis mixtae) quasi intra margines, mediocriter eminentes, exsculptae sunt, dissimilitudo protinus aperta videtur, et quantum praecipue, vulgarior hebetiorque in exsequendo manus processerit. At si inferius opus sagaci judicio apparet, non est quod mediocre sit nec gratam vividamque et liberam (ut cetera omnia Ambianensis cathedralis signa) rerum speciem producat. Inter plures alias, has peculiariter imagines laudabo : aliquem ad ignem assidentem hominem, alium avem tenentem, alium sub umbra sedentem ramumque manu gerentem, adolescentem et puellam sermones implexis manibus miscentes, etc.

Alia quoque ejusdem generis imaginum series maxime laudanda videtur, quae in Parisiensis cathedralis sinistra janua frontis plane integra etiamnunc restat [nº 156]. Valde majores sunt personae, paullum eminentes; ut Remis, scapis ipsis portae et mediae pilae affixae spectantur, sed longe prius opus productum est. Absimilia ceterum argumenta sunt, et, ut aetate illa mos erat, telluris labores, popularia negotia, potissime expri-

munt : sationem, foenisecium, messem, vindemiam, una tantum persona saepius figurata. Non modo res expressae ad detinendos oculos aptae videntur, sed liberam et propriam artem, facilem et sanam facturam, singulare vere ingenium opificis probant. Quae omnia, ut saepe fit, haud minime abest ut ita insignia superioribus imaginibus appareant.

Sunt etiam minutiora alia anaglypta stereobatis, sub postium statuis, in parvis velut formis inserta [n° 155], quorum imagines quaedam, vel sigilla potius, veram amplitudinem, ut ita dicam, habitus praestant : sic effigiem S[i] Michaelis proponam, draconem lancea transfigentis. Perincommode autem omnes fere corruptae et deformatae lineis apparent. Cum eis conferre licet minuta, formisque eodem genere inclusa, anaglypta stereobatarum dexterae portae in Autissiodorensi cathedrali [n° 122] : corruptissima pariter at elegantissima insunt sigilla, intra implicata ut semper omnigena ornamenta illa sparsa, quae XIII° seculo adeo feliciter artifices instruebant : sunt ibi argumenta ex prodigi filii parabola assumpta.

Parisiensi etiam in cathedrali, — namque ad eam semper redire decet, — loco ubi rarius exsculptas imagines invenias, stereobatis quibusdam absidis capellarum, exterius, praestantia anaglypta spectantur [n° 159-161], paullo majora, in marginatis formis parieti affixa, admodum vero corrupta. Quorum sigilla cum ultimo tantum spatio seculi informata sint, non multam affectationem, venustatem tamen decoram et delicatas lineas in habitu, mollitiam simul et convenientiam in vestibus, plura probant. Notanda est praesertim seorsum, solita effigies Virginis corona a Christo redimitae, duobus canentibus angelis supra sedentes personas volantibus : opus enim decore et libertate et praestabili lepore praeditum, et electile vere in summa, inter perfectissima temporis hujus artis anaglypta habendum est. — Altera etiam ex parte ecclesiae, — nam haec septentrionali lateri absidis applicata sunt, — meridionali in transsepto, subsimilis quaedam forma spectatur, pulchris item ornamentis quasi inclusa, ubi scholasticorum Parisiorum, ut videtur, mores expressi sunt [n° 164]. Vivide et apte sigilla ordinata, vere et libere vestitae personae apparent, sed quae minus exquisitam artem, non elegantem adeo et facilem facturam praeferunt.

Non plura dicam de parva illa statuaria quae stereobatis

frontis ecclesiarum vulgo applicata est, accuratius generatim elaborata, propter ea quod loco inferiore sita erat, misereque saepe, eamdem ob causam, detruncata et corrupta. Satis est ea pauca, ut quae ex praestantissimis artis illius documentis hauriantur, proponi. — Addamus et ectypa sigilla, plerumque distincte affixa, quae IV, V vel VI ordinibus archivoltas januarum exornant, tympanaque magnifica velut zona cingunt. Quae imagines semper fere solidae (ut ab imo aspiciantur) effectae sunt, at minutae tamen (quia angusta sedes erat), minusque sane accurate elaboratae quam stereobatarum anaglypta. Praestabilia vere tamen nonnulla memoranda sunt, Parisiensi utputa in cathedrali : sinistra in janua frontis, vel in transsepto meridionali. Sic et profertur semper, media in janua, effigies quaedam Mortis nudae, strigoso equo insidentis, ex quo eviscerati hominis corpus pendet [1]. Laudunensis etiam cathedralis sinistra in porta, etsi non gypso expressae, Artium liberalium, effigies laudandae cernuntur. Quae, vulgo septem antiquioribus monumentis, ibi decem numero, priore XIII[i] seculi parte, institutae sunt [2]. Peculiare sibi persona quaeque insigne scientiae vel artis indicat, nec sine libertate et veritate singularis habitus compositus videtur : sed vulgaris factura est, scaevusque saepe et rigidior gestus. Nec plura exempla proponenda : omnibus enim, tantulum ornatis, in ecclesiis, archivoltis plures omnigenas imagines affixas, praesertim angelorum, vel sanctorum, vel Scripturae personarum, aspicere facile est. — At in ultimam paginam capitis hujus quaedam reservavi interioris ecclesiae monumentorum opera, ectypa etiam et minuta plerumque symplegmata, quibus intentissimam diligentiam saepius probasse sculptores videntur.

Sic, de Carnotensis cathedralis pulpito (vel quod *jube* dicitur), medio XIII° seculo exstructo, XVIII° autem male diruto, paucae adhuc, deempto capite, personae supersunt, angelus quidam, Magique reges, quae numero maxime egregiorum aetatis hujus operum ascribendae sunt [n° 136]. Elegantia et concinentia vestis, libertas gestus, unicum vere et maximi pretii totum opus fuisse demonstrant. Quae 70 fere centimetris altae nunc figu-

1. Vid. Viollet-le-Duc, *Dict. d'Architect.*, v° SCULPTURE, t. VIII, p. 158.
2. *Ibid.*, t. II, p. 5-7, v° ARTS LIBÉRAUX.

rae sunt, et quasi solutae videntur. — Eodem etiam genere, at, meliore fortuna, admodum integra, ingens zona imaginum maxime laudanda est, quae chori Parisiensis cathedralis stallorum dorso septentrionali applicata cernitur. Quae olim chorum interiorem totum cingebat, nunc in lateribus tantum superest. Sinistra vero pars una xiii° seculo exstructa est, et altera (posteriore ceterum) longe antecellit. Sub continuo arcuum ordine xiii argumenta spectantur, ex novo Testamento desumpta, quae Jesu vitam, a Visitatione Virginis usque ad preces Christi in Olearum horto, mediocri statura personis numerosis sed apte ordinatis, repraesentant. Plura libertatem et vitam vere atque ingenuos praecipue vultus praestant; de formarum elegantia vero jam coloribus durioribus quasi praegravata vel compositione propria vestium aequam sinceramque opinionem facere difficilius sane est, quia perobscura est pars illa ecclesiae, neque e gypso opus ductum est.

Paucis nunc ex altaris tabulis quae plus minus integrae ad tempus nostrum permanserunt, duas praecipue notabo, ex ecclesiis S[i] Geremari et Plailliaci profectas, hodie autem Cluniacensis dictae domus in museo servatas [1]. In tabula Plailliacensi [2], quae circa ultimos annos xiii[i] seculi vel primos xiv[i] exsculpta sane fuit, tria argumenta aspiciuntur : Annunciatio, Visitatio, Nativitas; personae mollitia et decore praeditae sunt, sed jam paullulum habitu gestuque affectatae. — Tabula autem S[i] Geremari longe praestantior est [n° 190], necnon et inter summa opera artis xiii[i] seculi statuenda videtur. Auctor — quod mirum — notus est : Petrus de Wuessencourt, et tempus : MCCLIX. — 3 m. 70 c. longa tabula est, ubi xviii personae ad 43 vel 45 centimetra altae, prope arrectae positae expeditum locum tenent. Medius Christus crucifixus apparet, inter Virginem et S[um] Johannem; utrinque, Ecclesiae et Synagogae figurae, S[i] Petri et S[i] Pauli effigies, Annunciatio et Visitatio, miles quidam et princeps, et peregrinus, S[us] Audoenus, S[us] Geremarus et Dagobertus rex, spectantur. Etsi aliquanto rigidiores gestus quidam, propter imparem (ut semper) nudi corporis observationem videntur, ut et, exempli gratia, apud angelum qui Virginem salutat, — inest vere quaedam minutis in demensionibus amplitudo, dignitas et

1. N[os] 237 et 238. — 2. Oise.

dispectus in vestium compositione quarum sinus, non numero nimii, jacturae cujusdam sensum et felix discrimen probant, libertas et vita in habitu, quae vix alio in opere ita feliciter expressa invenirentur, testimonia sunt firmati vere judicii, maturaeque artis, minime sane aetate illa vulgarium. Praeter duo quae posterius glutinata sunt, capita omnia desunt, ut fit semper, cum nefaria ex industria opus (ut et casu accidit) truncatum est. At fere dici potest, — ex ea quasi inopinata sententia quam priore capite jam proposui, — personis nil damni esse, quod capita saepius, seu grandiora sunt, seu aliquid fatua et inania, et inferiora vesti, apparent; neque illa duo quae integra exstiterunt absonam hanc opinionem esse probare valent.

Ultimae illi plasticorum operum medii aevi seriei, solutas imaguneulas et gestabilia, ut ita dicam, sigilla, ad explendam recognitionem nostram addere deceat. At si intra unum XIII^{um} seculum constiterimus, quod incrementi spatium non praeterire statuimus, perpauca sane artis illius peculiaris specimina reperiemus (quae etiam nunquam frequentissima fortasse aetati illa effecta sunt). A XIV^{o} enim seculo praesertim apud nos eburnea vel lapidea sigilla plurima vere objiciuntur, neque fit ut minutiora illa opera, mea sententia quidem, singularem ita auctoritatem, merito vel factura praebeant, ut laudem nimiam ars illa auferat. Nimium saepe eo adducuntur homines ut soluta sigilla quasi exquisitius et accuratius elaborata, vel quia interiore aedificio posita sint, majoris faciant quam quae omnigena ad parietum ornationem exsculpta sunt. Anaglypta vero et ectypae imagines, medio aevo et XIII^{o} seculo saltem, saepe longe felicius effecta videntur quam soluta sigilla, quae communia aetatis hujus artis vitia plus minus evidentiora testantur, grandiora capita, breviora crura, coactos gestus, male convenientes partes, exiles etiam et rigido sinu deformatas vestes. — Quid autem plura? Sufficit ut quaedam modo exempla proponam, observantibus commodiora : sic, Parisiensi de nescio quod trivio, vel taberna detractam, lapideam (?) quamdam statuam Virginis, (cujus exemplar modo unum, e gypso ductum, servatum est), ultimis annis XIII^{i} seculi assignandam [1]; decoram et venustissimam effigiem, non nimia adhuc affectatione depravatam, ampla dignitate

1. Apud Trocad. museum, sed nondum numeratam.

commendatam, sed cui Jesus infans, bracchio insidens, converso vultu, intuens (ut solitum) aperte impar et ineptus videtur. — Sic, quoque, in Luparae museo nostro, nonnulla eburnea Virginis sigilla [1], illud praesertim bene notum quod ex principe Soltykoff nomen accepit [2], aliquantum semper affectata et graciliora opera, sed plerumque vere elegantissima. Sunt et aliquot Cluniacensis domus in museo servata [3], utcumque Virginis cum puero, minuta semper statura, meritis semper vitiisque isdem; et in privatis thesauris quaedam, inter praestantissima etiam numeranda. De quibus unam tantum (exempli gratia) notabo, quae e photographe expressa est [4], eburneam Virginem, dictam « de Bligny », eleganti et accurata factura, et cui venustus habitus videtur; sed jam paullo quaesita est et affectata vestis, jactantior capitis flexus, parum naturalis risus, vultusque infantis, quasi ex fatali eodem casu, inanis et impar.

1. N^os A 2, 3, 4, 7, etc.
2. N° A 3.
3. N^os 728, 729, et praesertim 1061.
4. *Gazette archéologique*, anno 1884, pl. 40.

CAPUT QUARTUM

QUOMODO XIII[i] SECULI ARS, FALSIS IMPARIBUSQUE PRINCIPIIS IMPEDITA, IMPERFECTA STETERIT; QUAS TAMEN PROPRIAS HABUERIT VIRTUTES.

I

Superioribus capitibus rationem et disciplinam strictius statuariae XIII[i] seculi exposui, et quae ex ejus operibus praecipue eligi possunt, exempla observavi. Nunc tempus est concludere, ut aperte statuatur quod de arte illa judicium faciendum sit; inde et aestheticam ejus auctoritatem definire, virtutibusque cum vitiis doctrinae collatis perpendere, quid ea omiserit, quid contulerit.

Ars statuaria quidem, medio aevo, in Francia XIII° seculo sese altius erexit quam unquam alias antea vel posterius : nam vere in summum perductam artem perspeximus, licet imperfectam. Propria et singularis illa est, eo quod quaerit, et vere aliquando perficit ut pulchrum exprimat, extra omnem imitationem peregrini et classici cujuslibet typi, quale, aetate ea, intelligebatur; sed ut intellectus ille pulchri inferior erat, ita rationes et artes exprimendo ei impares erant, ex incerta nimis debilique disciplina, improbo etiam fundamento fulta. Nulla certe ex ea absoluta ars evadere potuisset, quavis aetate, utcumque praestantes et peculiares conatus fuissent. Quid inde? Inclinatio illa quae, brevi, vix certam inceptae viae artem invasit, nullam similitudinem habet cum inclinatione artium quae eo vitiantur quod ultra destinata, minutiore cura pulchri et veritatis, procurrunt,

vel quod non diu potest humanum ingenium perfecti finibus contineri. Fuit arti illi inclinatio quaedam ante maturitatem, languida juventus ante confirmatas vires, ex ipsis naturae suae connexis vitiis, antequam ad culmen perducta esset, corrupta. Tempore quo apparent ea capita illius quasi mancae, sed singularis et ingenuae, artis, quae nec superata neque etiam aequata sunt, — aetate ipsa et prope effecta, — alias longe frequentiores effigies invenimus (de quibus nihil modo dicere voluimus), vulgarem summam operum quae seculum vel semi-seculum (quod incremento artis hujus assignati licet) totum obtinent, sine ullo vere insigni progressu et qui continuum laborem testetur, assiduumque cursum ad praefinitum quoddam et aperte propositum prospectum. Conatus omnes, ut jam dixi, quasi praetentatus videntur, et fluctuantia incepta. Quid plura? Ars illa, jam oriente XIII° seculo, semina in se et materiem gerebat mali quo corrupta cecidit et funditus jam XIV° occidit seculo. Aetas quam Renovationem dicimus, a quibusdam nonnunquam injuria accusata, a culpa prorsus abest oppressae artis quae jam dudum plane exoleverat nec vere tunc constabat.

Causae duae praecipue sunt, aptae inter se et connexae, quae imbecillam artem medii aevi fecerunt, moramque objecisse videntur, ne ea ad elatiorem, ad perfectam laudem, quamvis vere valida principia in ea continerentur, perveniret. De quibus unam jam perspeximus, practicae disciplinae et artificii rationem, imparem dico observationem imitationemque *nudi*. Altera vero ad aestheticam pertinet, quod, in hac arte, occultum, intimum propositum praevalet, formaque, figura, nimium postposita est, quod uni et alteri temperamentum pari momento libratum deest, — cum reipsa, in absoluta congruentia amborum elementorum illorum natura pulchri constet. — Quibus ambabus causis, cum et assumptivis aliis, una origo est, ut opinor, et commune principium, quem dicimus « primitivum christianum sensum » cujus auctoritas, velut sacra tradita, falsas quasdam et immodicas opiniones prodidit, quae diutius libero plasticarum artium incremento odiosam moram objecturae erant. Cum hinc, ut jam dixi, *nudum* ut turpe vel obscenum haberetur, anatomiaque ut horrenda respueretur; unum firmum fundamentum omnis propriae plasticae disciplinae sublabebatur; cum illinc corporea pulchritudo contemneretur, ut fragile et fallens bonum, quod ad

jactantiam incitet animumque hominis ab officio distrahat; — inde in simulacris foeditas, macies, ascetica species vigebant, ut valentiores ad expromendam aedificationem, ad castigandos mores, et quasi homini sensum immittentes convenientiorem humilitati suae et fragilitati.

Satis nunc apparet quantum absit ut de summi et absoluti pulchri quaestione agatur. Quae enim vere notiones, pulchri, perfectionis formae, idealis, aesthetici delectus, diutius velut tenebrae apud christianas gentes permanserunt. Quid autem mirum? cum hinc illi pagana omnia opera, inanium quidem numinum gentilitatis effigies, sed reliquias ultimas sublimis artis, aperta generatim damnatione afficerent; illinc et traditae a veteribus sculptoribus rationes paulatim dilaberentur. Primi igitur christiani artifices alieni fuisse videntur ab omni practicae artis traditione [1] : ars nova omnino informanda erat, quod anceps coeptum dubios incertosque conatus necessario producere debebat. Argumenta effingenda perpauca primum erant, nec de quibusdam certis typis egredi licebat; qui, dummodo clare et apte propriis sibi insignibus expressi essent, vix animadvertebatur si non effectu et factura nimis impares essent : inde ita artifices vel operarii assuescebant de opera sua remittere, unumque praefinitum effectum assequi. Byzantinam utputa artem et opera attendere licet.

Hinc oritur peculiaris ea statuariae artis condicio in medii aevi societate, quam jam ut valentiorem et praestabiliorem naturam ejus doctrinae et rationis signavi. Plasticae effigies, quasi docendi praecipiendique pie instrumenta tantum habebantur : quae ceterum propriis suis meritis, — excepto omni aesthetico sensu, et variis vere gravibus commodis, studium eruditorum spectantium quam maxime invitant. Docendi rationem dico, oculis et menti vulgi peculiariter accommodatam, illiterati quidam sed curiosi simul et pii populi animo, per accurate electa argumenta quae porticibus et januis ecclesiarum praesertim, ubi libenter

1. Inepti vere erant et plane impediti sculptores, in ultimis ipsis Romani imperii seculis, quae prima simul christianae Renovationis erant ; nec jam eis antiqua vel paullo priora opera aemulandi copiam fuisse videtur. Ita cum Constantinus princeps suum Romae arcum aedificari jussisset, artificesque periti et idonei nulli essent, Trajani arcus anaglypta evellerunt modo structores. Quae vero nonnulla, pro necessitate operis, ipsi nova exsculpserunt, horrida et vulgaria plane apparent.

faciliusque ante et post sacra sollennia ipse undique advocatus insistere solebat, — e Scriptura, vel morum praeceptis, vel et vulgari quotidiana vita desumpta, — explicata apparebant. — Pie quoque praecipiendi instrumentum dico et erigendi animos (adeo fero et immani etiam saepe tempore), per varios et apertos sensus dignitatis, benignitatis, clementiae, pietatis, sanctitatis, quibus artifices repraesentatas personas fabulasque omni aetate plus minus ornaverunt.

Has ambas causas nunc paullo copiosius ordine, paucis observationibus introspiciam, quarum auctoritas conclusionem praedictam confirmare fortasse valebit. Eo majoris momenti, nostra sententia, est argumenta quaestionis colligere, quod cupidi admiratores medii aevi artis, minus eorum auctoritatem intelligere videntur. eaque minime curant. Sic opinio illa erat, penitus animo Viollet-le-Duc insita, incrementum Gallicae statuariae ab XI° ad XIVum seculum respondere quasi ex necessitate *debuisse*, et reipsa plane respondisse, ad incrementum Graecae statuariae. Nam eam opinionem vere omni opere et studio laboravit ut clare et aperte acciperemus; nunc et decretis ejus paruimus, nempe in museo nostro Parisiensi gypsorum, ubi attonitis spectatoribus apparent, uno aspectu, validae pulchraeque Aeginensis fastigii statuae, ineptis deformibusque Augustodunensibus Claromontanisve anaglyptis mixtae; vel, conclavi vicino, una e praestantissimis Erechteionis Atheniensis caryatidibus, ante Virginem (dictam auratam) Ambianensis cathedralis posita. Non supervacuam diligentiam adhibebo ad insulsitatem talium collationum monstrandam, quarum rationem jam nunc plures eruditi respuunt, et inanitatem opinionum quae similitudinibus fere vacuis ambarum artium earum innitereutur. — Non tamen inane fortasse esset paululum primis incrementis Graecae artis immorari, quo apertius pateat Gallicam artem, — extra etiam raras eximiasque condiciones quibus ars Graeca primum proferebatur, etsi in quaedam puncta eadem ingenuae et novae artes, cum instituuntur, tendunt, — prius quasi impotentiae et inaequalitati addictam esse : ex inopia plasticae cujusdam doctrinae, quae momentum suum, non dico aestheticis praeceptis pulchri, sed tantum studio nudi tribuerit.

Sic locum habemus quo aliquatenus materia addatur comparationi cuidam archaïcorum unius et alterius artis operum :

nempe modum quo capita personarum effecta sunt; cum, apud utramque, aequabiles specie typi inveniantur, inepta significatione vultus, capillis barbaque artificiose crispatis cincti, et semihiantia fatuo risu labra, et scaeva corporis extrema. — At, contra, cum Gallicae statuae, plus minus inscite traditionibus funestisque exemplaribus byzantinae artis, id est degeneris artis obnoxiae, vel sin aliter ne ineptum deformemque vulgaris naturae imitationem accidentes, non multum aliae sint ac ligneae figurae, rigido coactoque habitu, inepto gestu, — Graecae vero imagines, etsi praegraves adhuc et duriores saepe videntur, validiores etiam formas et vividiorem mollitiam facturae habent, quam unquam medium aevum, optima aetate artis, assequi valuit : quia jam corporis elementa habitusque diligentem vivae veraeque naturae observationem indicant. Jam rigor delineamenti et scientia statices anatomiaeque in summa parta sunt, nec superabuntur : hic fundus est, valens et firmus, qui sculpturae nostrae defuit, quoque deficiente conatus omnes quibus ea ad incertam perfecti formam contendit velut praetentatus permanserunt, — omnis ejus in factura sollertia vel prudentia, in intelligentiam effectuum et artificiorum recidit, — omnis doctrina et disciplina, instinctus fit quidam e ratione singularis judicii pendens, proque opificis cujusque ingenio et facultatibus variata. — Liceat modo, exempli gratia, aheneam effigiem Apollinis, dictam Payne-Knight (in Britannico museo), vel et potius aliud Apollineum signum, dictum de Piombino (in Luparae museo), conferre [1], cum diversis Christi « summi judicis » simulacris, mediis cathedralium nostrarum portis in tympano, nudo pectore, expressis, ut Carnutis, Parisiis, vel Biturigibus, quae gravissima fere *nudi* studii apud medii aevi artifices testimonia sunt.

At talia opera non diutius tanquam comparanda induci possunt, cum Gallici sculptores, ut jam compertum est, admodum raro nudas quasdam corporis partes expresserint : non tam quod sacra plerumque argumenta effingere curaverint, quam ex austerae decentiae instinctu, qui ceterum et Graecae artis operibus in personis quibusdam similis apparet, et pariter nisus omnes ad vestis studium convertit. At haud minus tamen aperta et odiosa

1. Vide graphides ambarum imaginum apud M. Collignon, l'*Archéologie grecque* et *Mythologie figurée de la Grèce*. Quantin (Bibl. des Beaux-Arts).

videtur firmae disciplinae primae inopia; nec dubium est quin sculptores nostri ad perfectionem quamdam, quam nunquam assecuti sunt, ascendissent, si molle simul et robustum corpus aliquo sub sollertibus eis et saepe decoris vestibus in praecipuis operibus vivida factura effinxissent. — Videamus vero quam viam Graeci artifices archaïcae aetatis secuti sint : typos quidem suos ab hominibus ipsis circumdantibus sumpserunt, vereque vulgari rudique veritati praesertim studuerunt quod adeo peculiare pretium eorum operibus addit, at saltem exemplaria sua tota exprimere curaverunt, quae et pulchra et aptissima erant. — Gallicos contra, exeunte XII° seculo, artifices, cum eumdem fortasse instinctum concepissent, nec sine pretio proprio quoque nobis, quoad veritatem et ingenuitatem facturae, opera eorum esse videantur, nihili vere corpus ipsum pependisse constat : quid enim approbare, cujus rationem habere possimus? Vultus quidam vel vestis aliquando e vivo quasi ducta; corpus vero nullum, nisi rigida nescio quae assis, ad affigendas vestes erigendumque caput accommodata.

Nunc autem venit tempus illud planae renovationis doctrinae, quod jam longius proposuimus quam ut hic haerere liceat : aequalitas quasi major attribuitur personis, certi velut typi effinguntur : inde relaxatio et dignitas oris praecipue quaeruntur, quae tamen, propter nimiam adhuc inscitiam et non satis exquisitum judicium, saepius non in optimam vel singularem figuram, sed in fatuam communemque evadunt. Minorem veritatem igitur vultus praebent, nec multo majorem elationem vel plus quam humanam formam comparaverunt. At accuratius etiam vita et mollitia in habitu gestuque ut exprimantur datur opera; inde et byzantinorum exemplorum auctoritas prorsus repudiatur. Non satis est autem rationem feracem quamdam instituti, restat ut apte et prudenter ea observetur; et si pro comperto accipere volumus novos artifices hoc sibi proposuisse ut nunc ad naturam sincere viva exemplaria repraesentarent, necesse tamen habemus fateri eos male ipsa exemplaria et aspexisse et intellexisse, et perperam expressisse, semper ex inopia praecipue institutionis. Graphides plures, quas jam proposui, Villarti de Honnecourt, praestans (ut vidimus) ad explanandam quaestionem, documentum haberi possunt. Quae non modo demonstrant artificem, cum sinceram imitatio-

nem (ut ibi, in proprio architecti scrinio, verisimile est) exemplaris propositi effecisse se crediderit, ipsum judicium aperte falsum esse, nec felicem quemcunque effectum ex adeo imprudenti et caeca imitatione deduci posse; sed etiam corpoream exemplaris vivi pulchritudinem pro nihilo fere ab imitatore putatam esse. Quod facillimum in majore parte statuarum XIII[i] seculi compertu est, praestantissimae tamen artis nostrae aetatis, quam quidam cum divinis Graecorum V[i] seculi operibus exaequare volunt! Apta enim exemplaria saepe admodum pulchra habitu et compositione apparent, aliquando etiam ore et intentione vultus vere libera et decora videntur, rarissime vero corpore et artubus ingenue apteque formata. Ne quis tamen dicat vestes corpus satis dissimulare : nam saepius etsi decorae vere et probe dispositae sunt, persona ipsa tamen, in summa, exilis et substricta, et infirma subest; credas, si forte imagini vestes detrahantur, quae feliciorem adeo speciem praebent, personam non nudam esse, sed nudatam modo, vereque algere, et horrere sub hac coeli nostri intemperie.

Longe dissimilis, ut clarum est, Graecarum plane etiam vestitarum aspectus. Cum enim archaïca praecepta renuntiaverunt artifices, prima eorum institutio in arte consummata erat; quia idonea, exercitati superandis omnibus *nudi* difficultatibus, nullo labore neque incerto experimento, typos quosdam inveniebant, quibus venustas, quasi plus quam humana, cum vivida et singulari veritate juncta apparet. Pulchra, ingenua, robusta, vita et valetudine florentia exemplaria sunt, quorum vestes quasi apparatus tantum quidam videntur qui distinctius artuum formam denuntiat. Ante Phidiam, ut dictum est [1], constat cunctos habitus gestusque non aeque feliciter expressos esse artificumque libertatem ingenii imparibus adhuc practicae traditionibus impeditam esse. Ars vero, si non prorsus emancipata, ut dicitur, esse videbatur, at matura tamen erat profectui illi feraci qui adeo effuso impetu tum, beneficio egregiorum V[i] seculi magistrorum, erupit.

Inopia enim magistrorum apud Francos causa est cur maturitatem ars nostra vix adepta amiserit, quasi flores quidam nec aperti emarcescunt. Quod et aliter apud alium populum accidit,

1. M. Collignon, *Phidias*, 1886.

ut apud Italos, at paullo posteriore aetate; quod non condiciones tantum cultus et educationis plane absimiles erant, major libertas, vita, judicium et aestheticus quasi sensus ac valentior quoque favor et gratia vulgi, simul et mature aequa observantia et intellectus auctoritatis antiquorum praeceptorum, et minus severa quoque religio, apparebant; sed artifices ipsi longe singulare magis ingenium, et proprium impetum inveniendique facultatem, parati, ceterum, omnigenarum artis partium, praebebant. Familias ita artificum quasdam videmus, ut Pisanos, artem eamdem continuantes, notosque et laudatos artifices, quibus sua gloriatur patria civitas, et quorum auctoritas scholas et discipulos parat; qui etiam posterius narratores quosdam inveniunt, ut Vasari, multo feliciores quam humiles nostri obscurique magistri sculptores.

Est enim nobis occasio aliam causam tractandi, quae minime, ut opinor, omittenda — licet non fusius deducenda sit, — videtur; de imparilitate mediocritateque Gallicae statuariae, minusque certae et amplae facturae operariorum. Illud de Graeca arte aptissime dictum est, quo magis noveris mirabile v[um] seculum Graecae societatis, eo magis intellecturum artem illam vim et facultates suas ex plena libertate hausisse. Medio aevo contra constat, — quantumvis licet dubiae et praecipiti illi opinioni faveatur, hominum mentem plasticis artibus quasi emancipatam fuisse, et liberos gentis sensus per exsculpta argumenta novo impetu erupisse, — plenam eam libertatem inveniendi et excogitandi, quae omni peculiari et uberi in arte incremento prorsus necessaria est, plerumque medii aevi artificibus defuisse. Sculptor enim praefixo cuidam labori adstrictus, debebat, dato quodam loco, certam personam vel certi generis argumenta, praestitutumque typum effingere : quae sane gravis in summa servitus est; cujus incommodus effectus non abnui potest, etsi non plus aequo pro peculiaribus dati cujusque operis virtute industriaque haberi decet.

Est tandem gravior etiam quaestio quaedam et major causa, cur infirma et imbecilla fuerit ars nostra, cujus auctoritatem, etsi pauci respuerunt, sane ut apertam et evidentiorem omnis sincera et accurata disquisitio accipiet, praesertim si in certamen Graeca etiam aetas deducetur : nos eam in condicione et habitu proprio plasticae artis medio aevo jam posuimus. Sta-

tuaria enim non vere popularis erat neque a multitudine τεχνικῶς intellecta vel probata, non plus quam hodie apud nos. Fuerit pro iconographico thesauro quodam vel publica institutione, quod et jam ultro probavimus; pro arte vero, aestheticaque praesertim doctrina vel studio, aut raro fuit, ut opinor, aut nunquam. Fortuna ipsa artificum fidem quodam modo facit, praeter tot externa argumenta (ne omittam), societatis scilicet cultus, moresque temporis, et difficilis mercatura, et parum pernota opera, parum officinae apte definitae, vel et factiones artificum paucae, magistrorum penuria ludis praesidentium, discipulorumque, rarissima et auctoritas operis cujusdam. Graecorum contra operum quo modo fit ut etnunc plura e praestantissimis noverimus, nisi quod plura continua ex eis exempla deducta sunt, et imitationum imitationes? Ipsa autem archetypa signa, quae primum universa comprobatione ut artis miracula edicta erant, longe et late tanquam exemplaria proponebantur, traditaque per aetates fama pie servata.

Quod nunquam medio aevo contigisse constat : non quod XIII[i] seculi statuaria aliquoties egregia opera non expromere valuerit, digna vere quae exempla posteris proponerentur; vel quod non fuerint etiam pauca, quorum decus et fama circumscriptos fines architectonicae redemptionis, cui ea affixa erant, transgredi potuerint : ut, exempli gratia, Christus ille Ambianensis, qui pro aetate valde laudandus est, vere peculiare et eximium opus, et quasi summa omnium superiorum periculorum, quod sane ad imitandum expositum est, et cujus fortasse propria exempla (ut Bituricensem Christum), plane alia regione revocata esse credas. — At haec modo *practica* ratio, imitationis ejusdem et iterationis probati cujusdam typi, videtur. Dicendum est saepius : observatio et perpensatio omnis illius sculpturae, quamvis ea ubertatem inventionis, copiam formarum, mollitiam habitus, convenientiam vestium probet, manifestum id faciunt et aperte, ut ita dicam, profitentur : pulchri ipsius studium et intellectum, et idealis cujusdam perfectionis cupidinem, non insitum aliquem et popularem sensum fuisse, sed egregium modo velut insigne paucorum, unius et alterius raro et peculiari ingenio virorum, qui, vere artificum nomine digni, inter turbam operariorum eminerent, non ita tamen ut auctoritate circumcirca valerent

Populus est quidam antiquitatis, longe a nostro discrepans; est cultus, est societas alia, cujus ars, penitus, ut apparet primum, medii aevi arti adversa, praestat tamen — quibusdam praeceptis et traditis suis, et ratione qua ea usurpata sunt, et imbecillitate in progrediendo, quoad aestheticum judicium, et sua praesertim apud homines condicione,—aliquas similitudines cum xiii[i] seculi statuaria, et miras quasdam comparandi occasiones. Aegyptiam statuariam dico. Ita insigne quoddam documentum est, — accurate ab eruditissimo viro G. Perrot, in clausula ampli de arte Aegyptiaca operis monstratum [1], — architecturam longe principem locum in artibus hujusce gentis tenuisse. (Jam docui medio aevo non secus fuisse.) Et pariter, ut in Francia, inaequalitas illa, quam nos hodie indignantes respuimus, inter diversos operis unius artifices, in Aegypto probatur ex gradu ipso quem inter ceteros architectus obtinuerat, ex condicione ejus propria, sortem pictoris et sculptoris etiam superante. — Indubitata praestantia qua fruebatur architectus (pergit G. Perrot) ex eo intelligitur quod secundas quasi partes semper pictura sculpturaque in Aegypto tenuerunt. Quas artes, etsi accuratiore studio Aegyptii coluerunt, et in eis facultates sane eximias exprompserunt, et vere, ut dici potest, optima et mirabilia opera ediderunt, imagines vero eas, vel pictas vel exsculptas, minus per se aestimabant, minus et propter suam propriam pulchritudinem admirabantur, quam ob sacrum vel ferale officium quod illae explere credebantur. Statuae enim, aeque ac picturae, semper quasi ratio quaedam et auxilium fuerunt; nec plasticum unquam opus apud Aegyptios ad eum finem (ut apud Graecos tamen) factum est, ut animus spectantium erigeretur atque voluptatem illam quam nos aestheticam dicimus, caperet.

Hoc subtile de Aegyptiaca arte judicium, nonne eisdem fere verbis ad Gallicam medii aevi artem merito transferatur? Plura tamen excipienda : primum, Aegyptiacam statuariam, quamvis

1. G. Perrot et Chipiez, *l'Art Egyptien* 1881, in-4°, p. 855. Hos praesertim locos confer : « Cette apparente disproportion se justifie par le rang que l'architecte occupait dans la société égyptienne (etc.)... On comprend que, dans de telles conditions, le sculpteur et le peintre aient toujours été subordonnés à l'architecte. C'était aux mains de celui-ci qu'étaient remises toutes les ressources... Il était l'ordonnateur et le maître; les autres artistes n'étaient que ses agents et les traducteurs secondaires de la pensée que lui seul embrassait dans son ensemble, etc...

saepe pulchriores typos praebeat, semper minorem libertatem, et copiam, et mollitiam, et varietatem praesertim, quam Gallicam habere; post etiam, etsi non minus inhabilem ad commovendam aestheticam voluptatem, Gallicam tamen statuariam ut commoveret enisam esse, et finem petiisse qualem intelligeret, et quam latissime posset, de quo mox pauca disseremus. Est verumtamen, ut jam dixi, mirabilis quaedam inter singulares modos unius et alterius artis incrementi similitudo quam omittere nolui.

In summa satis apparet, artem statuariam apud Francos in alienissima a progressu sorte versatam esse. Quippe quae, pro disciplinae fundamento, senescente industria et deminuto cultu inniteretur, et pro fine et proposito, infirmum quoddam et ab inepto principio ortum ideale prospiceret : laudi est, et decori sculptoribus ineuntis XIII[i] seculi, quod vere soli et ex proprio instinctu corpus aliquod et quasi consensum typorum, artem plasticam quamdam feracem et peculiarem, invenerunt, quae, licet vitiis velut innatis et infirmitate inficeretur, tamen, opportunissime, elatioribus affectibus hominum quibus addicta erat respondere valuit.

II

Restat nunc ut aestheticam ipsam quaestionem, quoad facultas erit, aggrediamur, quae fortasse praecipua est et gravissima causa cur Gallica ars adeo infirma et impotens ex ratione ipsius pulchri appareat. Materia haec peculiaris videtur et qualis nulla apud veteres inveniatur. Quaestio ibi agitur, ut jam dixi, de nimio (apud medii aevi artifices) momento *fundi* ad *formam*, ejus quod *invisum* est, ad id quod *aspectabile* : haec falsa fuit et anti-aesthetica vere, ut ita dicam, ratio, orta ex instinctu proprio christiani primitivi sensus, cui et corporea figura sordebat, et cupiditates coercendae videbantur. Habetur vulgo, ut flos famae et meriti statuariae nostrae in medio aevo, aeque ac character et virtus ejus maxime propria, et omnium consensione accepta, intentio vultuum, imago aliquorum intimorum sensuum, ore et habitu exprompta, pietas et benignitas quibus ea perfusa sunt, et fides praesertim quae apud ea florescit. — Longe aliam igitur

apud Graecos doctrinam fuisse videtur, nec vere imitationem eorumdem affectuum in eorum quam in nostris operibus expressam esse. Sunt quidam tamen, et praecipui, in utraque arte consimiles affectus, etsi alio modo ab artificibus percepti et vere unicuique aetati et moribus communes, de quibus nihil est quod non inter veterum et recentiorum opera comparatio proponatur. Et ibi Graeci plane antecellunt. Quo fit ut ea principia, in peculiari velut ideali sita, quae apud christianos artifices vere perfecta, in se, vel elatiora etiam apparent, non ad summum opera perducere valuerint? Eo quod majorem auctoritatem illis tribuere in operibus suis artifices sponte voluerunt, quam quae admitti poterat ad aptissimam convenientiam partium certumque temperamentum obtinenda, quae absoluto aesthetico typo necessaria esse videntur. — Quod et communi quodam instinctu nisus omnes in unum finem contraxerunt, scilicet ut statua spectantibus documento esset, seu animos moveret et quasi edoceret, seu mentes institueret; neque ullo modo saepe excogitaverunt, quamdam supra pulchri naturalem speciem esse, per quam etiam et vividissime ingenium et mens erigi et informari possint [1]. Jam ceterum vidimus falsas opiniones temporis hujus vel severa praecepta christianae disciplinae, non minimi momenti fuisse, ad objiciendas libero artis incremento moras.

Necesse ante omnia videtur, cum ea quaestio proponenda sit, quam partem aesthetico ideali in opere tribuere liceat, ut aperte decori sensus a sensu honesti segregetur. Honestum enim nihil est cui fines constitui possint, cum in morali utputa quaestione, consilium plurimum valeat. Decorum vero, vel Pulchrum suapte natura finitum est, quod et forma exprimere debet. Inde quid consilii sit, si forma absit? — Perfectio igitur absolutum temperamentum unius et alterius harum rerum poscit : formae et consilii, vel potius ejus quod eximius philosophus Jouffroy felicis-

1. Quo fit ut, vere, a nimiis quibusdam miratoribus medii aevi artis, ut eximia et singularis virtus error iste habeatur? Aut quae fides tribuenda sit talibus inanis quasi vel tumidi sermonis propositis praeceptis? « Les statues grecques regardent dans leur présent. Celles du XIII[e] siècle veulent manifester une pensée de l'humanité tout entière. La statuaire grecque est sœur de la poésie; celle du moyen âge pénètre dans la psychologie et la philosophie, etc. (Viollet-le-Duc, *Dict. d'Archit.*, art. SCULPTURE.) Ipse et auctor illa merita et virtutes, quando, ut in arte nostra, miratur et proponit, quae nullo fere modo medii aevi artis, sed vere Graecae (quam tunc respuit) sunt.

sime *invisibile* appellat [1]. Nunc medii aevi artifices semper plus aequo ad exprimendum invisibile tetendisse videtur, Graecos vero potius ad referendam perfecte formam; quae cura fecit ut plura opera frigere quodammodo dicerentur. Praestantissima tamen apud eos aetas fuit ubi exactum aliquod temperamentum teneretur, quod in Gallica arte nunquam reperitur; Graeci enim artifices, etsi nec christiani nec creduli tantummodo piive, ut nostri, erant, felicius signis et imaginibus elatissimos sensus animi et numinis dignitatem reddiderunt.

Jouffroy philosophum modo laudavi : nempe in illo excellentissimo libro de aesthetica quaestione paginas quasdam scripsit, ubi aptissime et perspicue res disputatur, quas ibi memorare non inutile erit.

Cum per diversos dispectus sensuum affectuumque nostrorum quoad naturam vel artem, definitionem quamdam summam inquirere vellet, quae ample simul et clare pulchri naturam comprehenderet, eo adductus est ut plura pulchri genera statueret, quae et quodammodo principiis suis distincta sint, et nos aliter moveant, et in mente nostra diversa explorati exemplaris judicia comprobent.

Est primum quoddam expressionis, ut ita dicam, pulchrum, quod causa et origo praecipua aestheticorum affectuum qui gratuiti dicuntur, habendum est. Sic vera et exacta perturbati animi imitatio mentem nostram delectat; et quamvis odiosum sit aspectu ebrii cujusdam spectaculum, exspectationem nihilominus majorem concitat, et vim *expressionis* praestantiorem habet quam cujusdam pecudis. — Si quis vero sculptor fortuitum illud spectaculum velut deprehenderit, et vivida effigie repraesentare conatus erit — ut in Sileni, exempli gratia, effigie, — e naturae quasi fonte hauriens, diversisque ex personis argumenta et lineamenta omnia idonea assumens, quae imagini absolutam personam vel typum ebrii hominis adhibere valeant, operi sane genus aliud pulchri affixum habebimus, quod *imitationis* pulchrum dicetur. — Quod si, tandem, artifex, cum sese ad elatiorem argumenti, utcumque vulgaris et ignobilis, conceptum erexerit, selectum quemdam habuerit ex illis ebrietatis linea-

1. Jouffroy, *Cours d'Esthétique*, éd. par Damiron, in-12. — Cf. praesertim capit. XXIV, XXV, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI.

mentis quae natura praebet, si inutilia quaedam ineptaque reciderit, ceteraque firmaverit aptioraque et significantiora effecerit, et ita ipsam velut ebrietatem repraesentaverit mentibus, operi tertium genus pulchri vere inerit, quod proprium *idealis* pulchrum est. — Haec verum effigies, genere suo perfecta, vel quolibet aspectu pulchra, nihil est quod nobis non odiosa ex duritate et vulgaritate expressionis, vel deformitate exemplaris aut typi, vel foeditate argumenti ipsius repraesentati, videatur; quippe quae etiam incuriosis nobis frigida prorsus videri possit, si nullum sensum affectumque exprimat, vel qui dignitate careat et demissus sit. At si, partibus isdem perfectionis in expressione, imitatione et ideali, expromptis, in conspectu, insuper speciem quamdam habebimus ubi notari possit sincerus et vere proprius sensus, qui vel moveat, vel delectet animum, tunc propositum suum artificem assecutum esse dici poterit, per praedictum *invisibilis* pulchrum.

Inde aperte constat, quam rara esse debeat, et est quidem, in operibus, perfecta conjunctio quattuor horum principiorum pulchritudinis, physici, sensibilis, moralis et incorporalis, quorum quodque pretium suum et vitam propriam habet, facillimeque, ex occasione, praevalere ceteris, immo ea prorsus opprimere potest pro instinctu vel voluntate artificis. — Inde tot praestantia sed imperfecta opera, propter inopiam justi temperamenti, apud quae unum aut plura elementa pulchri explicata nimis, ceterorum detrimento, apparent; inde et scholarum artificum, et generum doctrinae dissimilitudines, cum quisque pariter ad pulchrum, suo arbitratu, nitatur, sed eam decori speciem nunc in expressione (invisibilis per naturales formas interpretatione), nunc in imitatione (subtili earum formarum aemulatione), nunc in ideali (ipsarum elatiore perfectione), ponat; inde et contraria judicia et principia per quae, quolibet aevo, vel praedicaverunt, vel repudiaverunt artium opera censores, prout sub hoc aut illo aspectu distincto observare voluerunt.

At ex uno invisibilis pulchro, ante omnia, illa oriuntur discrimina, et colores, et varietates quae velut infinite opera pulchra, ceterum, unaque artis ratione perfecta, insigniunt et distinguunt; immo etiam illud eis vitam solum infundere valet. Ex quo concludi potest id vere pulchrum esse, quod ex incorporali, ex invisibili specie emanet, sed perfecte, naturalibus figuris

quae sensibus subjiciuntur expressum sit. Non ideo debet cetera genera pulchri opprimere; nec spernere vel inferiora censere; non enim aptius quam ea, immo minus apte, solum exprimi potest. — Hinc ex resolutione, ut ita dicam, monstratur, si finxeris invisibilis pulchrum detractum esse, naturae pulchrum, simul et artis, ita abolitum iri, unamque superfore imitationem, exempli subtilem similitudinem : inde et dicere licet non modo invisibile, solum, per se, nos ex aesthetica ratione movere posse, sed etiam in eo verum fontem et originem aestheticorum affectuum inesse, et illud solum, omni genere, naturales vel artificiales formas virtutis quae nos moveat et alliciat, suscipere. — Illinc vero num eosdem invisibile, si naturalibus vel artificialibus formis exutum esset, affectus nobis praeberet? Num fundus aesthetice sine forma agere valet? Non ita, haud dubie, habet; cum etiam si, exempli gratia, cupiditatem aliquam concipere et observare voles, vel quemlibet animi affectum, — nihil adjuvantibus extraneis naturae formis, — necesse erit, mente, cupiditatem eam vel affectum *repraesentes*, quasi apud quamdam personam quam finxeris, et variis vestieris formis per quas palam fieri invisibile queat. Eadem et nobis ratio est pro descriptionibus quas a sermone vel scriptis accipimus : ea enim una condicione aestheticum affectum nobis percipere licet, si res animo nostro in vivo effectu proponantur.

Ex quo illud consequitur, — quam et nos utilitatem ex tot enucleate propositis a philosopho Jouffroy argumentis capimus, — ut ars non minus *formae* quam *fundo* studere debeat; et artifex non tam intellectum quam invisibile manifestum facere, quod non aliter manifestum fit quam si corporeis formis involutum apparet, quae suam pulchri speciem, ad suum perfecti genus pertineant. Nequicquam curaverit artifex ut cupiditatem eam in opere, vel affectum illum exprimeret, unde vehementissime nobis animus moveatur detineaturque; si nescierit quo modo, qua ratione, cupiditas illa, vel affectus, vere et aperte significari, pro naturae vel artis pulchro (exacta imitatione vel ejus ideali) soleant, — opus, prout casus acciderit, vel frigidum et nulla exspectatione dignum, vel deforme et saevum, vel inaequale et inepte compositum, — etsi decorum, — semperque impar manebit. Talia apparent fere omnia quae apud nos ars statuaria medii aevi opera prodidit, propterea quod prava fuit dis-

ciplina, nec satis intellectum est, perfectione formarum, illo divino quoque opere, affectus et omnes animi motus tegendos necessario esse [1].

Aliud etiam argumentum prioribus e principiis emanat, quod ad nostram proprie medii aevi artem pertinet, et generatim ad pensandum effectum quo animos opera artis irritant. Sic observatione constat, nos praecipue movere, primum apud nos pollere, pulchrum *invisibilis*, vel deforme : cetera post tantum, et velut accessio quaedam, occurrunt. Cum enim expressum *invisibile* spectamus, allicimur simul, aut avocamur, quodam velut instinctu, remota omni ingenii cogitatione, vel omni nisu rationisve aut intellectus. Cetera autem pulchri elementa, expressionem, imitationem, ideale, necesse est ratio nostra, et ingenium, et judicium, et rerum cognitio, et animi cultus percipiant et assequantur, ut illa nos probemus et eis vere fruamur [2].

Ex quo videtur qua varietate effectus aliquoopere in mentes inducti discernantur. Quo magis enim intellectu praestant spectantes, eo magis intelligunt diversas illas pulchri significationes, et aptius probant : oblectamentum cum incremento intellectus augetur, quae ipsa voluptatis illius origo est. Alii, ut figura utar, plura *vident*, quam alii, in proposito opere; vel quaedam desiderant, quae alii ne ullo quidem suspicantur quibusque minime sibi videntur carere.

1. Adde quod etiam oportet illae naturales formae, quibus artifex invisibile significare studet, a nobis non alienae sint, quia tunc vel minime vel non absolute moveamur; inde formae eae et signa non absoluta sunt. Si enim artifex, exempli gratia, signis et formis utetur quae ipse excogitaverit nedum invenerit in ipsa natura, vel si signa ea ab opinionibus, tempore, moribus spectantium quibus proponentur, aliena erunt et statim sanam mentem offendent, invisibilis opus non plane efficietur. Verum haec quaestio haudquaquam peculiariter exquisitiorum societatum refert.

2. Quamvis igitur, — ut fit saepe — opus unum, quamprimum, et collectivum affectum in mentem inducat, duo vere genera effectuum prodita sunt, quae aperte distingui necesse est, quibus etiam voces eaedem minime conveniunt. Primum, pulchri vel deformis affectus quidam, qui nos vel allicit vel avertit, quem et invisibile prodit, corporeis formis indutum quae ad exprimendum fundum adhibentur ; hic autem affectus non definitivus est, sed probatur postea, ut ita dicam, ipso affectu quem apud nos expressio, imitatio, ideale pariunt. Qui vero plane, ut dicimus, « relativus » est. His enim in elementis summum pulchrum illud est : perfectio et convenientia materialis in exsequendo. Contra autem, deforme nullum (quod proprie dicitur) opponitur, sed imperfectio quaedam, plus minus discedens a perfectione, vel propius ad eam accedens.

Inde apparet cur aetates et societates quaedam non aliud sibi fingere valuerint, et intellexerint et effecerint, quam imperfectum ideale quoddam, et adumbrationem pulchri, qua ceterum placide contentae fuerunt, nedum aliud suspicarentur. Difficultatibus eis (quas jam monstravi) obnoxia et impedita quominus progrederetur, ars medii aevi minime etiam augurabatur quid fieret si expediretur; quod nec intelligebat nec cupiebat ; sin aliter, eas utique arcuisset. — Apud eos contra qui semper decori et pulchritudinis amorem studiumque et quasi pietatem servavere, qui et semper ante omnia cogitationes suas per formae perfectionem significare voluerunt, cultus judicii singularis paulatim conficitur, oblectamentum aeque augetur, et difficilior subtiliorque fit censura. Simul quo plus aestheticus ingenii intellectus panditur, eo majore convenientia et perfectione artifices cuncta ad absolutum pulchrum necessaria elementa comprehendunt. Omnia enim simul in aequo stant : opera praestabiliora et maturiora fiunt, cum judicio et ingenio populi cui ea parantur, et alia aliis prosunt.

Nec separatus impetus est, sed undique prorumpit : plenitudo facultatis propius judicii plenitudinem assequitur, illasque sic raras cumuli aetates habemus et breves simul, quae post longum modo spatium praeparationis et studiorum exsistunt. Ite rumdici potest praecipuam naturam omnis operis, tempestate qua ars non ad culmum pervenerit, male librati cujusdam temperamenti causam esse, inter diversa pulchri elementa quae sequi voluerit artifex, et majoris partis uni, ceterorum detrimento, tributae. Ante *apogeum*, propter imperitiam, imbecillitatem, imprudentiam, impar facultatum in arte incrementum, etnunc inchoata habemus opera; post vero, ob nimium traditarum rationum studium, novorum morum amorem, affectationem, difficultatum appetitionem et inventionum cupidinem, imparia videntur.

Ars medii aevi in statuaria nunquam tempus illud veri et certi *apogei* consecuta est, et momentum quo perfectis quasi ponderibus variae inter se species pulchri congruunt et librantur. Quod si tamen spectaculum idem quodam modo praebere valuit, non sincerum, ut ita dicam, nec sine eo quod insolenter admixtum est apparet. Est ibi enim (ut jam proposui) peculiare aliquid et non vulgare : scilicet, incrementum ante maturitatem ruptum, tanquam languescentis, priusquam omnino patescat, floris.

Unde fit ut inscitia ea in cogitando, et imbecillitas in factura, et rationum inopia, et scaevitas expressionis, quae prima procedentis artis aetate cernuntur, etsi altero aevo (quod deminutionem dicimus) vere pluribus in operibus emendatae sunt, in pluribus etiam permanent. Et si tunc utique levitas manus, et sollertia mollitiaque artis, ad summum nonnullis in operibus ductae sunt, at acre tamen judicium, et convenientia dignitasque dispositionis eadem quasi portione corrupta, in inaequalitate eadem opera et artem perincommode tenuerunt.

Laus est, nec mediocris vere, artificibus illis quorum opera proxime ad summam maturitatem et culmum accesserunt, artificibus dico XIII[i] seculi, quod perfectionem quamdam judicii, in parte praecipue *invisibilis* pulchri et *idealis*, amplitudinemque facturae et proprietatem inventus, assecuti sunt, quae — licet pauca ea sint quibus ars illa pulchre processit, nobisque virtutes ejus vere dijudicare datum sit, — arti nostrae patriae summum haud dubie locum, in incremento studioque artium et operibus, totius medii aevi, tribuere valuerunt.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. v Idus jan. anni MDCCCLXXXVIII,
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. Himly.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector.
Gréard.

INDEX GEOGRAPHICUS

MONUMENTORUM PROPOSITORUM

CONSPECTUS

Coulommiers. — Typog. P. BRODARD et GALLOIS.

Coulommiers. — Imp. P. BRODARD et GALLOIS.